This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 445P M
531
Noessert
1803
Digitized by Google

S 531
Nossett
1803





Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. AUG. NOESSELTI

EXERCITATIONES

AD

SACRARUM SCRIPTURARUM

INTERPRETATIONEM.

HALAE,

FORMIS ET SUMTIBUS CURTIANIS

MDCCCIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Praefatio.

Cum essent, qui hortarentur, ut, quae post edita duobus fasciculis opuscula ad interpretationem sacrarum scriptorum, hoc e genere scripsissem, conjunctim excudenda curarem, facile sum assensus, nec ea modo emendatiora edidi, sed addidi paene omnibus quae non aliena a consilio meo videbantur, in primis tum, cum fides liberanda esset in disputationibus iis, quas primum elaboratas non potuissem omnino, temporis angustiis circumscriptus, perficere, quod in prima, sexta et decima videbunt, qui volent hanc novam editionem cum pristina conferre. Nec illam praetermisissem, qua institueram verum sensum et rationem docrinae de peccatorum condonatione, cujus spem Deus sacris in libris fecit, declarare, si et mihi

Digitized by Google

otii ſatis fuiſſet hoc tempore, nec ſatius fuiſſet viſum, hanc rem copioſius illuſtrandam aliud in tempus transferre. Neque vero ita has omnes inſtitui diſputationes, ut, quoniam ita mos ferret, occaſione publice data dicerem, quae et apta eſſent tempori ſacro, cujus cauſſa ſcriberentur, et non omnino tralaticia, ſed in eo maxime elaboravi, ut vel ipſis ſacrae ſcripturae locis, vel iſtis, quae ab aliis ante me eorum illuſtrandorum cauſſa dicta eſſent, novi luminis aliquid afferrem. Quare, praetermiſſis his, quae obvia eſſent et vel tironibus hoc in literarum genere non indiligenter verſatis cognita, aut a vero loquendi uſu oppido aliena, unice ſum ac, quam potui, diligenter, perſecutus ea, quae [illegible]eriendam confirmandamque loquendi c[illegible]etudinem ſacris ſcriptoribus propriam, cujus ſine accurata cognitione vana eſt omnis interpretatio, plurimum facere poſſe viderentur. Faxit Deus, ut ex his etiam laboribus noſtris, divinorum librorum amantes et ſtudioſi aliquem tamen fructum capiant. Scripſi Halae d. XXVII Septembris A. C. MDCCCII.

Index I

Disputationum quae hoc volumine continentur.

Digitized by Google

VII.

VIII.

IX.

X.

Index II.

Locorum SS. S. quae ex instituto vel obiter illustrantur.

Digitized by Google

Index III.

Illuſtratorum praecipuorum verborum.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

OBSERVATIONES

AD

ORATIONEM,

QVAM VOCANT

DOMINICAM

MATTHAEI VI, 9 seq. ET LVCAE XI, 2 seq.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum his diebus, quos memoriae adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti in terrarum orbe recolendae ſacros eſſe voluit veterum pietas Chriſtianorum, id nobis datum negotii ſit, ut et beneficiorum, *quae nobis haec Chriſti* praeſentia attulit, magnitudinem, et optimum eorum, quoad poſſumus, remunerandorum modum, diligenter cogitemus: quidni haec conſiderantibus in mentem veniat praeceptum Chriſti, jubentis aut ſuadentis: rogandum eſſe *Deum, ut ejus regnum veniat?* Neque enim hoc, ut ita dicam, remunerandi ſtudium, aut rectius pietas noſtra, tantum cernitur in cogitatione officiorum, quae jubet, ut, quidquid Chriſtus ad credendum nobis obtulit, promto animo complectamur, quidquid ad agendum propoſuit, lubentes ac ſtudioſi faciamus, ſed continet vel maxime hoc, ut, cum nihil fieri ſine Numinis divini providentia poſſit, atque propagatio doctrinae pietatiſque Chriſtianae e nobis parum, e Deo maxime pendeat, a Deo quoque ſtudioſe petamus et exſpectemus, ut, ſapienter dirigendo rerum omnium curſu, ſaluberrimam Chriſti diſciplinam latiſſime propagati, hominesque uni-

propagari

Digitized by Google

versos ejus rei laetum capere fructum jubeat. Sed, quid istud *adventans Dei regnum* complectatur? operae pretium est accurate disquirere. Ejus rei intelligendae quasi quendam fontem aperit illa formula, quam solent *orationis Dominicae* nomine appellare, in qua et illud, quod diximus, Christi praeceptum occurrit, et non obscura videtur significatio facta eorum, quae vel istius regni divini vim illustrent, vel ea, quae cum illo conjuncta sive beneficia sive officia, esse videantur. Tentemus igitur, quid in hoc loco illusrando possimus, ea quidem lege, ut praecipue sensus investigatione terminemus disputationis nostrae modum; quod ubi factum fuerit, facile erit recte intellecta ad animi vitaeque usum transferre.

Neque tamen diu versabimur in ipsius textus apud *Matthaeum* (cap. VI, 9-13.) et *Lucam* (cap. XI, 1-4.) scriptura constituenda aut comparanda utriusque recensionis diversitate, de qua re vix quidquam potest afferri, quod non sit ab aliis satis bene occupatum. In illa formula, quam textus Matthaei hodie offert, quantum vacillet auctoritas clausulae sive δοξολογίας: ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν, nemo, nisi in hoc criseos genere omnino rudis, ignorat. Quidquid pro illa dici possit, copiose, ut solebat, et subtiliter disputavit *Baum-*

Digitized by Google

gartenius a); quid contra, a *Bengelio* in primis, *Breitingero* et *Wetstenio*, dictum fuerat, *Griesbachius* v. v. nuper lectissima brevitate ita praeclare complexus est, ingenioque et doctrina sua ornavit b), ut nihil desiderari posse videatur, nec verear, ne quis, liber quidem ab opinione, ad multitudinem, non ad auctoritatem testium, in tali re doterni debere, codices graecos latinae Ecclesiae omnino contemnendos, aut e latina, etiam vetustissima, versione, adulteratos esse, moveatur argumentis, quibus V. Cl. *Christ. Frid. Matthaei*, Professor Vitebergensis, nuper usus est in contrariam partem c). Sed hac praetermissa clausula, videndum de ceteris, in quibus, *Origines* d) auctor est, Matthaei Lucaeque textum magnam diversitatem intercedere, quam et pauci quidem, sed optimae notae co-

a) In disputatione Halae anno 1753 defensa, qua exhibet: *authentiam doxologiae Matth. VI, com. 13. obviae a recentissimis oppugnationibus vindicatam.*

b) In *Commentario critico in textum graecum N. Test.* Particula I. p. 68-73.

c) *Evangel. secundum Matthaeum, graece et lat.* Rigae 1788. ad h. l.

d) Περὶ εὐχῆς, Opp. edit. a *Car. de la Rue.* Tom. I. p. 226 seq.

Digitized by Google

dices vel versiones, veluti Vulgata *Hieronymi*, confirmant, qui libri apud Lucam post Πάτερ omittunt: ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, itemque sententiam: γενηθήτω τό θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανοῖς, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, denique postrema illa: ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, nec iste textus Lucae ullo in libro δοξολογίαν habet, quae est in plerisque nostris Matthaei codicibus. Quae quidem antiquissimis temporibus abfuisse a Lucae archetypo, vel una, eaque gravissima, probet auctoritas *Origenis*, qui et unus maxime omnium volutatus erat in aetatis suae codicibus, et caussam hic habebat nullam, cur, quae non vidisset, comminisceretur; quem si quis dicat, unum tantum Evangelii Lucae codicem habuisse, aut memoriae aliquo vitio deceptum, aut adeo mentitum esse, videat ne in narrando judicandove iniquissimus habeatur. Nec intelligi ullo modo potest, quid sit quod, quae apud Matthaeum in omnibus libris legantur, ejecta e Lucae textu fuerint, cum potius veri simillimum sit, hunc istis sententiis verbisque, quae omnibus obvia in Matthaei scriptura essent, locupletatum fuisse, maxime tum, cum haec formula Christi, tamquam concepta, in cultu publico coepisset frequentari.

Sed effecit haec ipsa discrepantia lectionis, uberioris in Matthaei, brevioris in

Digitized by Google

Lucae Evangelio, ut jam *Origenis* tempore quaereretur e): essetne apud utrumque una eademque orationis formula, sed longitudine diversa, an duae variis temporibus datae, una in oratione, quam Christus, in monte constitutus, ac potius delatus de monte in planitiem, commendaverit tamquam concinnitatis in precando exemplum, oppositum πολυλογίας vanitati, quam Iudaei cum paganis in invocando Deo sectarentur, altera, tamquam responsio, qua satis fecerit inter discipulos alicui roganti, ut, quemadmodum Ioannes suos, sic et se doceret, quo modo esset orandum? Hoc visum est *Origeni*, nostra memoria pluribus, nobis non item placet. Nam *primum vel* ita prius respondit Christus quaerenti discipulo, quam orationem in monte habuisset, *vel* ista oratio hujus quaestioni antejuerat. Illud quidem nemo, quod scio, interpretum statuit, cum ordo eorum, quae continente narratione exposuerunt Evangelistae, sine caussa idonea turbaretur, nec videatur Christus, quae semel Apostolis ad propositam quaestionem tradidisset, oratione repetere tum voluisse, cum percunctando nemo qnaesivisset, satisque esset auditores de fugienda in precibus ambitione admonere. Alterum autem, quaesivisse aliquem de Christi discipulis postea ea-

e) Vide locum cit. p. 227.

Digitized by Google

dem de re, quam Christus jamdudum, quo modo sit orandum, exposuisset, multo etiam magis abest a veri similitudine. Cur enim de re satis jam nota repetiisset ille quaestionem, praesertim si ipse auditor montanae orationi interfuisset? nulla quidem sunt, quae excusandi caussa adfert *Origenes*, fortasse non adfuisse quaerentem iis, quae in oratione illa Christus dixisset, aut eum, quae dudum dicta essent, non commeminisse. *Deinde* tantus est Matthaei ac Lucae in recitanda precum formula et ipsis in verbis et in dictorum ordine consensus, ut eandem esse utramque non agnoscere non possis; nec magis pauca apud unum praetermissa duplicem indicant formulam, quam in similibus narrationibus de tentatione Christi in deserto, de ejus unctione in domo Simonis leprosi aliisque, res longe diversas propter aliquam in narrando diversitatem.

Haec autem duabus maxime rebus cernitur; *primum* tradito a Luca tempore et occasione formulae, quae a discipuli percunctantis quaestione ducitur, cum apud Matthaeum ab admonitione de precibus universa deferatur oratio Christi ad exemplum, aut, si mavis, formulam, precum bene concipiendarum; *tum* copia sententiarum ac plenitudine, quae major est apud Matthaeum, rarior in Lucae Evangelio. In *illa* quidem

Digitized by Google

parte accuratior nobis videtur Lucae narratio, cui certe hactenus non dubitamus primas deferre, primum propterea quod diserte caussam commemoret, quae Christo occasionem proponendi optimi in orando modi dederit, qua in re perspicua est significatio diligentiae in narrando, quam in Matthaeo desideres, qui obiter haec tradat et conjunctim cum aliis ejusdem generis. Omninoque, (quod addendum esse videtur) Matthaeus solet praetermittere ea, quae occasionem singulis Christi sermonibus dedere, pariterque complecti diversis admodum temporibus dicta, si quidem ea eandem caussam continere aut apte uno in loco tractari posse viderentur, ut cap. XVIII, 1—5 et vers. 6. seqq. dispares admodum sermones Christi de modestiae studio, cavendaque Christianorum offensione vel ad deferendam Christi disciplinam incitatione conjungit propter infantum et discipulorum suorum similitudinem, qui pariter ab eo uno nomine τῶν μικρῶν appellantur; quas res fuisse diversas, ut diversam utriusque admonitionis occasionem, Marcus (cap. IX, v. 33. seqq. et v. 38 seqq.) atque Lucas (cap. IX, 46 seqq. et v. 49.), perspicue enarrarunt [f]. Sic Lucas nostro, de quo proprie quaerimus, loco (cap.

f) Vide *Opusculorum nostrorum ad interpretat. SS. Scripturarum.* Fasc. I. p. 6. seq.

Digitized by Google

XI, 1.) diserte: *Contigit autem, inquit, cum Christus aliquo in loco orasset, finemque orandi fecisset, ut discipulorum suorum aliquis ei diceret: Domine, doce nos orare, sicut et Joannes suos docuit discipulos.* Atqui idem ille Lucas cap. VI, 12. seq. Jesum narrat in montem ad precandum ascendisse, omnemque noctem Deo invocando traduxisse, tum eos, quos inter discipulos admittere ad familiaritatem vellet, convocasse, descendisse denique orationemque ad montis radices habuisse. Ecquis, his inter se diligenter comparatis, non videat, nocturnas has Christi preces excitare aliquem horum familiarium potuisse, ut ab eo quasi quandam artem precandi expeteret, praesertim, cum apte, quam cooptasset aliquos de auditoribus in amicorum concilium, admonuisset suos de invocando messis Domino, ut fideles operarios emitteret in messem suam? (Conf. Matth. IX, 39. cum capite X.) Cujus voluntati sic satis fecit Christus, ut, non longa oratione, qualis sua ipsius nocturna fuerat, sed brevi paucisque sententiis conclusa, opus esse doceret; sive id paullo post fecerit in oratione montana, sive, quod a veri similitudine propius abesse videtur, tum statim, cum esset a discipulo rogatus; quamquam Matthaeus, neglecta, ut solet, commemoratione ejus, quod occasionem discipulos ea de re admonendi de-

Digitized by Google

disset, ista de optimo precandi modo praecepta postea demum in orationem montanam commode intulerit.

Etsi vero Lucam in tradenda rei occasione diligentiorem fuisse Matthaeo profitemur, tamen, si de altero quaeritur, hoc est: uter in descriptione illius institutionis aut orandi formulae propius ad Christi ipsius verba et sententias accesserit, et in enarrando formulae argumento accuratius fuerit versatus? *Matthaeum magis audiendum* esse censemus. In enarrandis ipsis Christi sermonibus brevior solet esse Lucas, ubi eodem, quo Matthaeus, fonte uti videtur, quod comparatis permultis locis intelligi potest; vide modo Matth. XII, 3—8. et Luc. VI, 3—5. Matth. XII, 47—50. et Luc. VIII. 19—21., Matth. XVI, 14—21. et Luc. IX, 19—22. In montana in primis oratione, quot omittit sententias, nec alibi a se narratas, aut verba certe? Quem igitur morem quis miretur Lucam in recitanda precum formula secutum esse? maxime cum ea praetermittat, quae ipsis ceteris sententiis contineri videantur, ut illa: γενηθήτω τὸ θέλημά σου etc. quae superioribus: ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, quasi inclusa sint, aut illa: ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quae per ipsam disjunctionis legem ex iis, quae antecesserant, intelliguntur.

Digitized by Google

Sed ad ipsas, quas Christus praescripsit, preces veniamus; quae ordiuntur ab illo: *Pater noster, qui es in caelis, nobilitetur nomen tuum!* Recte videlicet a Deo principium, cujus sunt omnia plena; quem cum Patrem eumque caelestem imploramus, primum tamquam Patrem veneramur h. e. non modo caeli terraeque conditorem, sed etiam ad nos pertinentem infinitaque beneficentia illustrem, qua in re natura *Patris* maxime cernitur, a cujus liberalitate nobis quidquid est bonorum contingit; cujus perspicuam dat Christus significationem ubicumque hoc de Patre nostro loquitur, ut Matth. VII, 11. et alibi; nec dubito, quin Iacobus Apostolus, cujus in epistola plures ex oratione montana ductae sententiae videntur, haec habuerit ob oculos, cum scriberet cap. I, 17: *Omne bonum donum, omneque verum beneficium* (δώρημα τέλειον) *de alto demittitur a luminis Patre* g). Quem Patrem Christus

g) Neminem hic, credo, offendet *luminis* nomen, quo intelligentia Dei magis quam beneficentia celebretur. Possem cum *Henslero*, V. R. reddere *Gaudii patrem* (vide ejus Appendicem ad Epistolam Iacobi a se germanice translatam p. 63 et 69.), quod in rem maxime conduceret meam. Nec est necesse tamen. *Luminis* enim Pater appellari videtur propterea quod per omnem orationis contextum de sapientia dicitur, quae

jubet tamquam in *caelis* cogitare; ſive ut mentem ſuorum ſevocet ab Abrahamo, Judaeorum patre; in quo ejusque ſtirpe paene uno quaerebant ſpem ſempiternae ſalutis; coll. Matth. III, 9, quod praeclaro etiam loco Jeſaiae c. LXIV, 15 et 16 illuſtrari poſſe videtur; ſive ut animos auditorum dirigat ad regnum caeleſte, de quo mox eſſet dicturus, quodque ſaepe *caelorum regnum* appellatur, non quaerendum in terris h. e. in vaniſſima rerum humanarum magnificentia.

Quod ſequitur: *ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου* non dubito vertere: *nobilitetur nomen tuum.* Ut enim *nobile* dicitur, quidquid aliqua in re excellit, ſic nobilitari dicuntur, quicunque afficiuntur gloria, excellentiaque conſpicui agnoſcuntur [h]). Neque vero a me impetrare poſſum ut exiſtimem, illam Dei excellentiam hoc loco maxime, ac potius unice, ſumma voluntatis ejus ſanctitate contineri;

quae nobis ſit a Deo expetenda, ut vel adverſa nil niſi laetiſſimam rem (*πᾶσαν χαρὰν* v. 2.) putemus eſſe, a quo etiam omnis cognitio ſuavitatis doctrinae Chriſtianae v. 18. profecta ſit.

h) Vide *Ciceronis* locum *Tuſc. Diſpp.* I. c. 15, ubi, qui *gloriae mercedem* flagitant ab iis, quos *gloria* affecerint, *nobilitari* velle dicuntur ſive ſpem immortalitatis conſequi.

Digitized by Google

quod video nuper non uni viro docto placuisse i). Quid est enim, cur agnoscendam Dei majestatem has in angustias compellamus, nec eodem jure amoris beneficentiaeque magnitudinem, quam *Patris* nostri caelestis nomen ostendit, omninoque quidquid excellentiae cogitatione complecti possumus, uno hoc nomine comprehensum putemus? *Sanctum* quidem (το ἅγιον), vel in Scripturis sacris, de omni, quod *eximium* est et *insigne*, usurpatur, ut *sanctus* Israelitarum populus non tam sit morum sanctitate celebratus, quod longe secus fuisse historia sacra docet, quam potius singulari honore per Dei beneficia mactatus; et Deus ipse in loco Iesaiae c. VI, 3. ter *sanctus*, non propter voluntatis integritatem summam, sed quoad *venerabilis* maxime esset summoque honore dignissimus; et *sacrum* in primis Dei *nomen*, in hymno Mariae Luc. I, 49. i. e. *venerabile;* praemittitur enim: *magna ille validissimus in me contulit* (ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα ὁ δυνατὸς), quem propter ea *animus magnificat meus*, v. 46; ubi sanctita-

i) Vide H. E. G. *Pauli*, Doctoris Jenensis, excellentissimi interpretis, doctissimum *Commentarium* ad *N. Test* Tom I. p. 566—69. et *Pfannkuchii*, V. Cl. diatriben super hac precum formula, in *Eichhornii*, V. Celeb. Allgem. Biblioth. der biblischen Literatur. Vol. X. p. 856. 67.

Digitized by Google

tis, quae est in amando colendoque eo, quod rectum est, nullum vestigium apparet. Etsi igitur non ignoro, sanctitatem, quae Deo tribuitur, etiam in puniendis impiis Deumque contemnentibus cerni in eamque partem hoc ipsum verbum transferri, ut videtur in loco Ezechielis cap. XXXVI, 23, (quamquam haec justitia potius appellanda esset quam voluntatis integritas): tamen vel in illo loco Deus dici posset ἁγιασθῆναι aut ἁγιάζειν τὸ ὄνομα αὐτοῦ hactenus, ut se contemni nullo modo patiatur, sed maxima se dignitate conspicuum venerabilemque ulciscendo demonstret. Sunt sane ἁγιάζειν et βλασφημεῖν τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ disjuncta, ut, quem ad modum hoc contemtu Dei continetur, qui proditur vitae morumque pravitate, Jac. II, 6. Rom. II, 23. 24, sic illud de Dei cultu pietateque in eum universa usurpetur, quae, quamquam maxime animi et vitae sanctitatem complectitur, ad Deum relata tamen, confidentia non minus quam virtutis amore ac studio cernitur, et, sicuti id, quo quis colitur, a cultu ipso, atque officium ipsum per se, ab eo, quod alterius caussa, sive ut illi satis faciamus, suscipitur, sic a virtute pietas in Deum differat. Hanc autem proprie illo dicto Christi, quod interpretari volebamus, expressam esse, ut illam altera sententia: *fiat voluntas tua* iisque quae sequuntur, non modo per ea efficitur, quae

de usu loquendi regnante in verbo ἁγιάζεσθαι a nobis allata fuerat, sed etiam simillimo verbo δοξάζεσθαι, quod Christus hac in re describenda frequentat. Nullus quidem ad hujus verbi vim cognoscendam aptior est locus illo Johanneo cap. XVII, 1. in quo Christus: *illustra*, (δόξασον) *Pater*, inquit, *filium tuum*, *ut ille te illustret quoque*. Illud, quod a se factum aut per se futurum profitetur, ita declarat, ut perspicue intelligatur, se Patrem *illustrasse* in terris eo, quod *negotium sibi ab eo impositum* perfecerit, vers 4, aut *nomen ejus cognoscendum* dederit discipulis vers 6, aut *acceptam ab eo doctrinam iis tradiderit* vers 8, omninoque ejus voluntati obsecutus sit. Veruntamen haec non cadunt vicissim in Deum, cum eum rogat, ut *filium* illustret suum, sed ista illustratio, quam sibi concedendam expetit, continetur negotii fideliter administrati remuneratione, inprimisque *imperio* sibi destinato, hoc est potestate salutis sempiternae in optimum quemque hominem conferendae, *dedisti enim*, addit vers 2, *et potestatem* sive imperium *in omnes*, *quos ei dedisti* (s. ejus disciplinae tradidisti), *homines*, *ut illis det vitae immortalitatem* (ζωὴν αἰώνιον). Quare, quod Deo ejusque filio s. legato commune est, eodemque verbo (δοξάζεσθαι) expressum, non potest in *obsequio* quodam esse, quod quidem legati proprium est, non principis qui

Digitized by Google

qui legato mandata dederit, sed in *gloria* et majestate utriusque ab hominibus agnoscenda, Dei quidem, tamquam proprii istius salutis auctoris, Christi, tamquam ejus, per quem homines ad perennem felicitatem adduxerit. Quod e similibus quoque locis emergit, veluti illis apud Ioannem cap. XII, 28. coll. v. 31. 32.[k]) et cap. XIII, 31—33, itemque Paulli 2 Thess. I, 10, ubi ἐνδοξασθῆναι et θαυμασθῆναι, *illustrari* s. *nobilitari* et *magna admiratione celebrari*, tamquam synonyma permutantur. Ceterum parum, opinor, interest, sive quis post verba: ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου cogitando adjiciat: διὰ τῶν ἀνθρώπων, sive διὰ σαυτοῦ, quod satius visum est *Pfannkuchio*[l]). In quo Christi sermone ut sunt Patris Filiique divini partes conjunctae, eademque utriusque caussa atque opera in doctrinae caelestis veraeque felicitatis collatione: quidni et hic conjungenda putentur, quae sunt ipsa natura connexa et copulata? Quidquid enim Deus agit ad suum de hominum salute perficiendum consilium suique gloriam illustrandam, utitur sane libera ipsorum hominum voluntate, quo fit, ut, cum homines vera pietate colant Deum, ipse Deus

k) Quem illustravimus alias, *Opusculorum* Fasc. II. p. 9. seq. 14—23.

l) l. c. p. 855. seq.

Digitized by Google

auctor hujus humanae pietatis recte dicatur. Neque est quod quis metuat, ne, si ista Dei illustratio hominibus tribuatur, haec de ea re sententia eandem prorsus habeat vim, quae est in verbis sequentibus: *Fiat voluntas tua?* quod quidem alienum videretur a legibus parallelismi, quem dicunt, gentium orientalium, quo conjuncta quidem componere soleant, sed eadem prorsus, nullo modo. Sunt enim hae duae sententiae sensu admodum diversae, si istud, quod antea exposuimus, discrimen admittitur, ita diversae, ut id quod est, et illud quo id efficitur, aut, si mavis, ut res differt ab eo, quo tendit, cujusque caussa suscipitur; propterea quod, qui satis facit voluntati divinae, idem ille hac re gloriam illustret Dei ejusque majestati convenienter agat. Neglecto autem isto discrimine, quo modo quis se ista e difficultate expediet? Sive enim Deus consulat gloriae suae, sive homines decorent recte factis Deum, fit sane id quod vult Deus; ac vicissim, si hoc obtineatur quod Deo placuerit, Deo, qui debetur, honos tribuitur.

Sed nolumus haec latius persequi. Majus autem quiddam est et ad cognoscendam vim et conjunctionem hujus formulae, quam illustrare volebamus, necessarium, accurate disquirere: quaenam sit ista sententia, quae

Digitized by Google

quasi per omnem hanc formulam regnet, ad quam, tamquam ad extremum, omnia referenda videantur. Video enim nuper admodum omnibus, qui ad hunc diem fuerint, hujus formulae interpretibus, tamquam probrum, objectum esse hoc, quod hoc ipsum extremum vel ignoraverint vel neglexerint, ac decepti errore, esse eam quoddam quasi compendium omnium quae expetenda sint, non cogitaverint de una illa et praecipua sententia, quae omnem hujus formulae complexum contineat, e qua, veluti ex centro, omnes hujus orbis radii progrediantur. Esse autem, ut aliquis dixit, hoc extremum quaerendum in spe, fore, ut proxime instet tempus, quo Deus effecturus sit finem omnium bonorum, qui contineatur vera emendatione animorum omnium hominum, qua, tamquam una lege, Deo dirigente, digni sint liquidissima felicitate hujusque participes futuri. Hanc exoptatissimam generis humani conditionem, constituendam quandam Θεοκρατίαν appellari posse, aut, verbis e sacrae volumine ductis, βασιλείαν τοῦ Θεοῦ βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ζωὴν αἰώνιον, et similibus. Conceptam, hanc precum formulam a Christo discipulis suis traditam rectius *symbolum*, quasi *archetypum*, novae rei publicae sacrae dici debere, in quo, externa precum forma adhibita, partim proprie, partim per

Digitized by Google

imagines, more orientis, exprimatur illa laetissima certissimaque spes, quam omnes Christiani profiterentur. Istam denique unam et summam cogitationem verorum bonorum contineri quatuor, quae in oratione Dominica legantur, primis sententiis, quintam autem et sextam cum septima conjunctam de removendis hujus rei impedimentis loqui, atque sic unam quasi ideam per omnem hanc formulam fusam reperiri m).

Haec si mihi non admodum probari fateor, non aliquo studio concertationis contra dico, nec ut vetusta et consuetudinis auctoritate sancita, propter vetustatem auctoritatemque velim defendere, sed ut, delatus in hunc locum, tamquam unus e multis dicam quid mihi videatur. Mihi quidem persuasum est, novam hanc divinae Christi formulae faciem et adspectum, sumtum magis esse, quam rationibus idoneis confirmatum, eundemque ad obscurandum plus quam ad illustrandum facere. Equidem, si quaeritur de Dei consilio in Christiana religione ad hominum cognitionem traducenda, non invitus concedo, illud sic debere constitui, ut vera virtute, ac potius pietate, commendanda, hominibus voluerit rectam felicitatis sum-

m) Ita quidem doctissimus *Pfannkuchius* l. c. p. 848. seq.

Digitized by Google

mae ac perennis viam aperire; nec diffiteor, hanc esse vim verborum de regno aliquo caelesti et similium. Sed licebit vicissim quaerere: unde hoc arreptum teneamus: hanc item esse vim ipsius, de qua dicimus, formulae, atque hoc Christi consilium, ut hoc unum, non alia etiam, isto quasi compendio complectatur? cur symbolum potius sit, et confessionis magis, quam precum, formula, qualem tamen Christi discipulus aliquis diserte flagitaverat? e quo genere multae, etiam Ioannis quaedam, *inter* Iudaeos ferebantur, confessionis autem exempla, quod sciam, nulla; cur necesse sit statuere, *unum* veluti principium per universam hanc Christi formulam regnare, unamque eandemque rem multifariam esse expressam? quasi Christus plura variaque non potuerit una formula comprehendere, aut quasi diversa, a quorum uno ad alterum facilis sit et naturalis progressio, nulla junctione teneantur; cur denique minus conveniat cum modo precandi Iudaeis usitato, varia conjunctim ad Deum deferre, quam eadem aliis imaginibus ac verbis repetere? praesertim in hujus modi precibus, quibus, quid animus desideret, simpliciter magis, ut in omnibus Christi precibus cernitur, quam ornate aut poëtarum more, proponi deberet.

Omnino si Christi consilium in hoc uno versatum fuisset, ut *regnum caeleste* aut, si ma-

Digitized by Google

vis Θεομαρτίαν, discipulis adumbraret, sententiam illam: *adveniat regnum tuum*, primo potius loco posuisset, non illud caput universae orationis abdidisset in tot alias sententias; aut quae plana esset et vel per Ioannis declamationem omnium ore trita et pervagata, non postea obscuriorem fecisset; quam ineptam obscuritatem quilibet animadvertat in illis: *Panem nostrum da nobis hodie!* si quidem haec, (id quod viro doctissimo placuit) de perenni post hanc vitam quoque exstitura beatitate intelligerentur, eandemque vim cum illa primaria sententia de desiderato adventu regni caelestis haberent. Num *porro* credibile cuiquam videatur, eum, qui paullo ante apud Matthaeum (cap. VI, 7. 8.) interdixisset, ne in precibus fundendis loquaces essent et verborum multitudine uterentur, ita parum constantem aut illius praecepti immemorem fuisse, ut vel ipse in formula, quae aliis in orando exemplo deberet esse, eandem rem sexies aut septies, verborum aliqua varietate adhibita, repetiisset? Omnes *denique* hujus orationis sententiae, vel in eam partem, de regno caelesti nimirum, explicari non possunt, quarta in primis, ut postea docebimus; vel ea continent, quae, cum constitutum hoc regnum fuerit, tamquam futura exspectari possint, cujus generis est haec, quae nominis divini illustrationem commemorat; vel beneficio-

Digitized by Google

rum cum regni caelestis adventu conjunctorum mentionem faciunt, quae quinta et sequentibus enarrantur, aut animi ad capessendam dignitatem civium caelestium unice idonei, qui tertia sententia postulatur, sed nequaquam ipsius regni divini aliquam significationem exhibent.

Quae cum ita sint, si hujus formulae quasi quandam continuationem et aptam omnium partium conjunctionem quaerimus, ea rectius sic constituenda declarandaque videtur. A DEO principium est, idque ab ipso Christo in fronte hujus formulae ponitur: rogandum esse Deum, ut *ejus nomen nobilitetur*. Ab hoc enim Deo nascuntur ad eundemque redeunt omnia, neque quidquam majus potest aut altius cogitari. Hoc unum ac praecipuum rogat Christus apud Ioannem cap. XII, 28: *Pater, illustra nomen tuum*, atque, ut in loco nostro regni divini adventum, sic alias conjungit cum Dei illustratione suam, in celeberrimis maxime precibus, quarum memoriam ad nos traduxit Ioannes cap. XVII, in quo, versu quidem secundo, *ἐξουσίαν* commemorat suam *εἰς πᾶσαν σάρκα* h. e. *regnum Dei*, ad ejusque felicitatem consequendam tamquam unicam viam requirit, primum, ut agnoscant hujus regni cives futuri, *Patrem, unum verum Deum*, deinde se, *Iesum tamquam Chri-*

Digitized by Google

ſtum ſ. regem; quem ad modum Paullus, Apoſtolus Phil. II, 9—11. Chriſti ad ſummum honorem *imperiumque* in omnia translationem factam ait eſſe *in Dei Patris honorem*, et Col. III, 17. omnia vult a nobis fieri *in nomine Ieſu, Domini*, ſic tamen, ut gratias agamus *Deo, id eſt Patri* (τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ) *per illum*. Haec primaria eſt cogitatio, Chriſti diſcipulis injuncta, late regnans per univerſam Domini noſtri orationem, ad quam, tamquam caput, in precibus tenendam aut fontem omnia revocantur.

E locis commemoratis aliisque ejusdem argumenti quampluribus cum intelligatur, Chriſtum aditum nobis ad hanc veram in Deum pietatem familiaritatemque, tamquam ad bonorum omnium finem, feciſſe: apte ac ſapienter addit Chriſtus: orandum eſſe, ut *Dei regnum ad nos deferatur*; quae et alias ejus in ſermonibus conjuncta leguntur, ut apud Ioannem cap. XVII, 1, 4—8. De quo regno multis diſputare non placet, ſunt enim haec a multis, ut a nobis ipſis n), copioſe tractata et in eam partem explicata,

n) Opuſcul. Faſc. II. p. 313. ſeq. et 358. ſeq. itemque in Proluſione *de una Dei in caelis terrisque familia*, quae in hoc ipſo volumine ſexta eſt.

Digitized by Google

ut omnium proborum hominum et sanctarum naturarum sit quaedam quasi, Dei sub imperio, res publica et civitas, quae perspectis voluntatis divinae legibus temperetur; imagine quidem Israelitis maxime frequentata, qui principem Deum scirent regem suum, seque proprium ejus populum esse, quocum nulla gens alia comparanda videretur, quae ita teneret Dei leges atque decreta, Deut. IV, 7. 8. Psalm. CXLVII, 20. Nec aliter Christus sibi imperium in suos concessum tribuit, quam quoad illi sua, hoc est divina, doctrina regerentur. Vide Io. XVII, 5. coll. v. 7 et 8, cap. XVIII, 37 et alibi. Quod eum dicatur *venire* (ἐλθεῖν) h. e. ad cognoscendum dari, Gal. III, 23. Tit. II, 11, non sic intelligendum est, ut nondum ulla ejus notitia ad homines pervenerit; dudum videlicet ac diu imbuerat doctrina sua eos, quos vult precando illius adventum flagitare; sed, ut ea latius propagaretur et ultra paucorum hominum aut locorum temporumque fines proferretur, iique, qui eam cognovissent, salutaris cognitionis plura et majora incrementa caperent. Cujus loquendi modi similia exempla exstant. Paullus, ut hoc utar, cum dicit Rom. XIII, 11, 12. *processisse noctem*, *diemque appropinquare*, de limine videtur instante et orituro loqui, quae tamen sic explicat, ut nunc *propior* (ἐγγύτερος) *nobis*

Digitized by Google

sit salus facta quam tum, cum inciperemus credere, et 2 Cor. V, 20. adhortatur, ut, *quos jam Deus sibi per Christum conciliasset* v. 19, *Deo conciliarentur* h. e. (per c. VI, 1.) *gratiam sibi oblatam non frustra oblatam putarent, sed laeti exultantesque acciperent.* Pariter Joannes Evang. c. VII, 39. *nondum* ait tempore eo, quo Jesus ipse doceret in terrarum orbe, *fuisse spiritum sanctum* h. e. doctrinae Christianae institutionem; non, quo omnino nulla tum ejus nostitia exstitisset, qui enim potuisset Jesus ad eam amplectendam auditores excitare? sed non erat tam late propagata tamque perspicua facta, quam post Christi abitum ad illustriorem locum. Quibus omnibus locis efficitur, antecedens saepe esse pro consequente, aut rem pro ejus fructu capiendo aut aliquam rei intelligentiam pro magis perfecta et declarata positam. Quod idem est in illa quasi sollemni formula: ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ Luc. X, 9. 11. et Matth. XII, 28. qua jam paratum beneficium tamquam praesens offertur, etsi ea nil nisi futurae demum salutis significationem continere videatur, ut Matth. III, 2.

Modus autem, quo quis ius civitatis illius consequatur, declaratur verbis his quae in loco nostro sequuntur: *Fiat voluntas tua, sicuti in caelis, sic quoque in terris!* Quae,

Digitized by Google

ut ante diximus, neque eadem sunt cum illis: *Nobilitetur nomen tuum!* aut: *Veniat regnum tuum!* neque caput caussae et finem continent, quo omnia debeant referri, sed sunt superioribus illis subjecta. Neque enim eo, quod gloria Dei propagatur, aut quod sumus adscripti imperii caelestis civibus, statim agimus voluntati divinae convenienter, sed, ordine quasi inverso, dum voluntatis divinae observandae studiosi sumus, et veri sumus ac boni cives Dei et Christi, et agimus ea, quibus summus Deo honor deferatur. Conjunctissima haec esse, non eadem prorsus, itemque Dei gloriam finem esse summum, sed studium recte semper agendi viam ad illum utrumque finem h. e. ad nobilitandum Deum et civitatis caelestis beneficium consequendum, non modo ipsa rerum natura doceat, cum Deus summus sit et rerum omnium princeps, ad quem omnia sint referenda, sed ipsius etiam Christi perspicua declaratio Matth. VII, 21: non eos participes *regni caelestis* futuros, qui eum *Dominum* profiteantur, sed qui *voluntatem Patris caelestis sequantur;* haec enim et aliquod earum rerum discrimen significant, et *obsequio* nos dignos reddi *civitate caelesti*, sive hujus juris consequendi facultatem demum impetrare. Quid porro potest esse pro utraque re dilucidius hac summa doctrinae Christi tradita Marc. I, 15: *Instat regnum*

Digitized by Google

Dei! μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ? Diversa sane vides, nec cetera sunt obscura. Quis enim μετανοεῖν ignoret idem esse quod ἐπιστρέφειν ἐπὶ Θεὸν, (שׁוּב עַל יְהוָה) ad Deum, quem deserueris, reverti, quod in loco primario Deuter. XXX, 10. dicitur tum fieri, cum quis *audierit vocem* (mandatum s. excitationem) *Domini, Dei sui, sic ut obsequatur legibus ejus atque praeceptis*; in eo igitur via est, qua ad regnum caeleste contendi oportet. At πιστεύειν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, quo haud dubie eadem, quae eo ducit, via continetur, et nostro in loco a μετανοίᾳ discernitur, et alio Luc. XXIV, 47, qui pariter summam doctrinae Christi commemorat, sui plane similem in exitu vitae, ut apud Marcum in principio, pro fide substituitur ἄφεσις ἁμαρτιῶν. Quod magno argumento est, viam eam, qua Christus dicit ad regnum caeleste perveniri, non unam animi morumque sanctitatem, veraeque virtutis studium complecti, sed etiam spem et confisionem, fore ut Deo gratiosi simus, et condonationis delictorum participes; quod beneficium non magis liceat negligi et uno virtutis studio spem nostram terminare, quam hoc ipsum studium ad veram sanctitatem contendendi. Quod si vero ea, quae vult Deus, observari debent ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς h. e. *ut in caelo, sic etiam in terris*, plane ut Hebraei dicunt (כבשמים ובארץ), cave credas

respici admirabilem in rerum natura, in astrorum aequabili motu, et similibus ordinem; quod nuper aliquis volebat; satius est de angelis interpretari, ut, quod apud Lucam cap. XV. uno in versu gaudium dicitur *in caelis*, in altero v. 10. est gaudium *angelorum* Dei; id quod etiam propius abest ab usu loquendi Hebraeorum.

Sequitur quarta sententia: τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, subobscura illa quidem, ut non sit quod miremur, interpretes in explicandis verbis, eorumque modo ac sensu, tam variis dissidere sententiis. Sed de verbis ipsis pauca attinet dicere, vix enim quidquam afferri a nobis posset, quod non dictum fuerit prius o). Sin-

o) Vide quos citavit *Wolfius* in Curis aliisque, qui interpretum varias sententias adnumerare solent; ac de verbo quidem ἐπιούσιος adde, praeter *Erasmi Schmidii*, notam ad hoc verbum pag. 119—121 singularemque *Balthasaris Stolbergi* disputationem repetitam in ejus *Exercitatt. graec. linguae* p. 220. seq. et *Symbolas Bremenses* Tom. III. p. 193. seq., ea, quae *Io. Frid. Fischerus* docte, sub more, disputavit in *Prolusionibus de vitiis lexicorum* N. T. p. 311—318. et *Io. Toupius*, Britannus, in *epistola critica ad Gulielm. Episc. Glocestriensem*, repetita inter ejus *Opuscula critica* Lipsiae 1781. Parte altera, p. 114 seq.

Digitized by Google

gulare istud nec alibi obvium verbum ἐπι-ούσιος *vel* est ab οὐσία ductum, quoad in ea est significatio vel naturae ac vitae, vel facultatum aut bonorum, quibus ad necessitates commoditatesque vitae utimur, ut Luc. XV, 13, ex quo complecteretur omnia, quae (ἐπὶ τὴν οὐσίαν) ad vitam sustentandam pertinent, *vel* a verbo ἔπειμι derivandum esset, quod sequendi vim habet, ut est ἐθέλων, alia forma ἐθελούσιος, περιὼν περιούσιος et similibus in exemplis, quae enarravit *Salmasius* p). Quod quidem praeferrendum arbitror. Etsi enim periit textus archetypus Aramaeus, quem Matthaeus et Lucas in commentariis de rebus a Jesu Christo gestis secuti videntur: dubitari tamen non potest, eum aut ejus certe verba servata fuisse in libro, quem veteres solebant Evangelium secundum Hebraeos appellare, in quo se profitetur *Hieronymus* q) reperisse *mahar* (מחר), quod non modo de cra-

seq. De modo, quo fortassis scriptum legerint in archetypo, e quo hauserint sua Matthaeus et Lucas, satis facient, spero, *Fischerus*, *Boltenius* et *Paulus*, VV. VV. ad Matthaei locum, *Pfannkuchius* etiam l. c. pag. 868 seq.

p) *Diss. de foenore trapezitico*. p. 812. seq.

q) Ad h. l. Matthaei, Opp. edit. *Martianaei*, Benedictini, Tom. IV, p. 21.

Digitized by Google

ſtino ſed omnino de poſtero ſ. ſequenti tempore dicitur. Satius autem videtur ſequi ea, quae hiſtoriae teſtimoniis conſtent, quam conjecturas. Enim vero haec *Hieronymi* teſtimonium confirmat, in archetypo hanc τοῦ ἐπιουσίου ſignificationem exſtitiſſe, non alteram illam, quae vocabulum ad vitae ſuſtentationem refert; nec eſt quod quis contra dicat, incredibile eſſe, ſi hoc reperiſſent Evangeliſtae in archetypo, eos novum excogitaturos fuiſſe verbum, cum ſatis trita uſu verba, μέλλων, ἐπερχόμενος, aliaque in promtu fuiſſent; ſatis quidem *Fiſcherus* r) hanc diſpuliſſe videtur inſolentiae ſuſpicionem. Invitat autem ad hanc ſententiam amplectendam hoc quoque, quod verbum ἐπιούσιος hoc ſenſu admiſſum, magis conveniat ſimilibus ſacrorum librorum loquendi formis. Nam et ἐπιοῦσα ἡμέρα, (ſequens dies) occurrit Actor. VII, 26. XXI, 18. et alibi, et, quem ad modum 1 Cor. X, 4. rupes Iſraelitas ſecuta dicitur h. e. ſemper iis proficiſcentibus aqua praeſto fuiſſe, quidni et victum (τὸν ἄρτον) dixerint libri ſacri ἐπιούσιον h. e. comitem nobis a Deo ſemper concedendum? nam ſic mallem vertere τὸ ἐπιούσιον, cum ἐπιέναι, proprie ſit: ad manus ſive in promtu eſſe; quo ſenſu admiſſo omnia praeciduntur, quae contra

r) l. c. p. 313 et 14.

significationem τοῦ ἐπιουσίου, quam defendimus, tamquam contra absurdam sententiam dicta sunt, ut quae jubeat, quasi non contentos victu quotidiano et cura Dei praesenti, hodierno die crastina quoque seu futura postulare.

Videtis, proprio sensu nos haec verba Christi accipere de iis, quibus ad alendam conservandamque vitam carere nequeamus; atque vix aliqua sive mentione sive confutatione digna videretur impropria eaque multis modis variata verborum interpretatio, quae inter veteres s), (ut nostros homines, velut *Salmasium*, praetermittam) tantum non omnia puncta tulit, nisi nuper admodum vir doctus t), eandem ingenii doctrinaeque suae vi defendere instituisset. Sic autem existimat: praecipitem nimis transitum a rebus ad animum unice pertinentibus ad terrenas corporisque curam facere hos, qui proprie haec verba interpretentur; imagine coe-

s) Vide insignem locorum copiam in *Petri Zornii Opusculis sacris* Tomo I. pag. 469 seq. et in scholiis Graecorum, quo e genere quoddam *Pfannkuchii* decreto simile *Matthaeius*, V. Cl. ad Evangelium secundum Lucam pag. 510. attulit.

t) *Pfannkuchius* l. c. p. 858. seq.

Digitized by Google

coenae conviviique cum optimo quoque majorum, apud Judaeos, ipsisque in sacris libris et sermonibus Christi, ad adumbrandam civium regni caelestis felicitatem nihil frequentius esse; orationis igitur contextum et Judaeorum consuetudinem postulare, ut statuamus nihil aliud esse in his verbis, quam perpetuam beatitatis in regno Messiae usuram. Quod utrum ita sit, vehementer dubito. Quo modo enim, *ut ab hoc initium capiam*, potuissent Christi discipuli divinando assequi hujus sensus obscuritatem, cum cuivis haec verba legenti vel audienti in mentem veniat de victu quotidiano verba intelligere? Imaginem illam Judaeis familiarem fuisse non ignoro, sed quid in his precibus auditores hunc ad sensum deducere potuisset, non assequor. Sermonis consecutionem video. Non necessariam tamen. Quidni enim licuerit Christo praeceptis ad animorum salutem pertinentibus immiscere etiam ea, quae sollicitudinem de vita sustentanda removerent, valde inimicam illam spei ponendae in admirabili Dei providentia et vero, quod commendaverat, virtutis studio, itemque rectae animi conformationi, sine qua omnes preces vanissimae sint. (Vide praeclare a Jacobo dicta epist. c. I, 6—8.) Neque aut indecorum erat, aut inutile, aut insolens optimo Servatori, suorum sollicitudinem praevertere; quod vel in ipsa hac montana oratione fecit

Digitized by Google

cap. V, 2 seq. c. VI, 25. seq. c. VII, 9—11. et alibi saepius, ut Matth. X, 9. seq. Apud Lucam adeo statim post has preces sequuntur cap. XI, 5 seq. quae depellere hanc sollicitudinem possint, non minus illustrandi caussa addita, quam, quae post has preces v. 14. 15. leguntur, ad commendandam quintam hujus formulae sententiam spectantia. Nec quidquam erat errori de lautis temporibus regnante Messia exspectandis frangendo accommodatius hac admonitione: quemlibet suorum debere sua sorte contentum esse propterea que rogare Deum, ut quotidie victum necessarium, quasi quoddam viaticum, praeberet. Impedit *etiam* illud *σήμερον*, *hodie*, aut τὸ *καθ' ἡμέραν*, *quotidie*, quo minus liceat de alio, quam quotidiano victu, cogitare, non de *futuro* in caelis gaudio; neque enim tum temporis, sed olim exspectabant illarum epularum lautitiam, quam et Christus ipse non his in terris, sed aliquando istis in caelum advectis promittit Matth. XXVI, 29. coll. 1 Cor. XI, 26, *ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ*. *Denique* id in primis vellem observari, quod haud scio an sit maximum et, ut mihi videtur, nimis neglectum a ceteris, in illo pulcherrimo orationis montanae loco cap. VI, 33: *Ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν*, haud dubie Christi menti obversata fuisse haec, quae in for-

Digitized by Google

mula, quam illustramus continentur. Nam illa: *contendite primum* ad *regnum* dei, referuntur ad nostra: *veniat regnum tuum;* quae sequuntur: et ad *probitatem quam Deus postulat,* ad ea: *Fiat voluntas tua;* postremo haec: *tum vobis haec omnia corollarii instar concedentur,* ad nostra: *victum nobis praesto futurum da nobis hodie!* Atqui *haec omnia* quis dubitet ad superiora referenda, quibus curam Dei de victu nostro adumbraverat v. 26 seq., eaque proprie accipienda esse? Idcirco nec dubitationem habet hoc, verba, de quibus quaerimus, proprie esse intelligenda.

Quod sequitur quinto loco, nihil admodum difficultatis habet. Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν; *remitte nobis debita nostra, ficuti nos quoque remittimus debitoribus nostris.* In quibus si quid dubitationis restare videatur, pertinet illud quidem ad rem ipsam remissionisque naturam, de qua copiosioribus licebit esse Theologis, qui istius remissionis modum, nostra quidem memoria, satis feliciter explicarunt. In verbis ipsis jamdudum interpretes Chaldaismum observavere, illustratum e Chaldaicis paraphrasibus, quae pro delicto (חטאה) solent *debiti* (חובא)

nomen substituere [u]), ut apud nostrum versu 15 παράπτωμα, positum est, apud Lucam c. XI, 4 ἁμαρτία. Quam dignam autem commendatione ac necessariam hanc sententiam putaverit Christus, corollarium docet versu 14 et 15 subjectum; hoc enim unum urget et addita ratione illustrat: nostrum esse, ut pariter aliis, a quibus offensi querimur, ignoscamus, si quidem velimus, ut Deus nobis injuriam sibi factam condonet. Nihil enim hac aequitate rarius inter homines est, cujus negligentiam non uno in loco montanae orationis castigaverat Christus, ut Matth. V, 22. seq. v. 44 seq. propter ea quod instar decreti frequentabatur in disciplina Pharisaeorum: *amari oportere amicum, sed inimicum odisse*, v. 43.

Illud denique extremum, quod Christus jubet a Deo efflagitari: καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ Πονηροῦ, *nec sine nos irretiri tentatione, sed libera nos a Maligno*, non videtur elegantius declarari posse, quam per simillimum omnino Christi dictum, quo Petri temeritatem reprimit, vicissimque ejus imbecillitatem consolatur, Lucae XXII, 31. 32: *Satanas vos expetiit, ut vos tamquam fru-*

u) Videant tirones *Keuchenium* in Annotatis in N. T. p. 37.

mentum quasi cribro cerneret; ego vero de te rogavi, ne perfidus fieres; hoc enim est ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. Quibus quidem e verbis haec nostro in loco intelliguntur: *primum*, τὸν πειρασμόν non esse proprie de rebus adversis, quae perdifficiles sint nullumque exitum ostendant, ut nuper alicui eique non indocto viro videbatur, hanc enim unius fortunae significationem nusquam habet, sed de rebus iis, sive laetis sive adversis, quae peccandi illecebris in discrimen adducant virtutem, cujus verbi vis 1 Cor. X, 13. Iac. I, 13 seq. ac potius ubique frequentatur, in illoque sermone Christi, quo de perfidia precibus suis a Petro avertenda loquitur, non agnosci non potest. *Tum* aperitur illo loco, istud in nostro: μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν esse cum emphasi accipiendum: *noli nos peccandi periculo succumbere* sive *ita explorari ut probati non reperiamur. Denique:* τὸν Πονηρὸν Satanam esse, cui solebant Judaei, quidquid malorum esset, tribuere. Quod ipsum confirmant verba Christi apud Joannem cap. XVII, 15. *rogo te,* ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ Πονηροῦ, *ut istos tuearis contra Malignum,* comparata quidem cum v. 12: *ego istos conservavi tibi addictos* (ἐτήρουν ἐν τῷ ὀνόματί σου); *quos mihi dederas, custodivi, nec eorum quisquam fefellit fidem* (ἀπώλετο), *nisi perfidus ille* (ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας), Judas vi-

Digitized by Google

delicet; cujus Maligni dominatio (ἐξουσία) disjungitur a Christi imperio (βασιλεία) Col. I, 13, satis accommodate ad locum nostrum, in quo Jesus cives regni coelestis vult expediri e diaboli, semper ad pravum quodque instigantis, potestate.

Disputatum est quoque de Christi hac in formula proponenda consilio: volueritne propriam sollemnemque precandi formulam praescribere, idque conceptis verbis, quae ipsa sui, eo praeeunte, sequerentur? an exemplo suo docere delectum habendum eorum, quae essent a Deo in primis efflagitanda, si quidem vellent cum dignitate orare? quamquam fuit quoque, qui modum putaret ab eo et quasi specimen aliquod modi traditum, quo in orando laudandoque Deo uterentur, ut, quae vellent, discerent aptis verbis exprimere; aliquis etiam, qui confessionis quandam formulam sive symbolum hic exhibitum comminisceretur. De quo postremo in superioribus (pag. 20. 21) satis dictum videtur; de ceteris hic pauca accipite. Fuit, inquam x), qui hanc formulam integram et continentem esse orationem, hoc est tamquam totum aliquod pluribus e

x) Vide *I. C. F. Schulzii*, Giessensis, V. V. Anmerkungen — über *I. Dav. Michaelis* Anmerk. für Ungelehrte p. 45. 46.

Digitized by Google

partibus apte conjunctum, negaret, ac singulorum potius exemplorum quasi quendam cinnum putaret, quibus docere Christus voluisset, quo modo, quae animo sentiremus, dicendo deberemus proponere Deo. Conjunctionem quidem orationis et continuationem nullam videt. Ego vero mihi videor supra (pag. 17. 23 seq.) satis, quam sint haec bene colligata, demonstrasse, et, si quis seriem rerum a Christo traditarum in hac formula desideret, posthaec dabo operam, ut melius adhuc sentiatur. *Quamquam ne postulari* quidem deberet, ut omnia hic inter se connexa et apta essent, si Christus, quod statim docebo; non tam formulam quandam tradere voluerit, quam potiora enumerare quae fas sit a Deo expetere. At Lucas, inquit, praetermittit quaedam enunciata hujus formulae; nec quarta, quam dicunt, sententia de victu nobis hodie parando, potest a quovis, certe non a morientibus, adhiberi! Quae nescio quorsum afferantur? nihil enim omnino faciunt adversus eos, qui in hac precum designatione vel formulam reperiunt, vel delectum praecipuarum rerum, quae sint quaerendae precibus. Neque qui alterutrum defendit, omnes hujus orationis partes omni tempore, ipsa quoque in morte, omninoque sine sensu vult ad Deum deferri; is certe, qui Christum statuit ipsa hac oratione delectum in precibus faciendum com-

Digitized by Google

mendare voluisse, nullo modo. Lucas autem cur quasdam hujus formulae sententias non commemoraverit, alio diximus loco (pag. 11), quo admonuimus etiam, quae neglecta sint in Lucae commentariis, etsi verbis non sint expressa, tamen in iis, quae attulit, contenta jacere. Equidem non arbitror, viri doctissimi opinionem multis probatum iri. Quis enim tum hebetes putet Christi discipulos, tamque rudes sermonis, ut ne verba quidem reperire potuerint, quibus ubivis obvia et sensus omnibus Dei cultoribus communes redderent? ut doceri debuerint, verbi caussa, si vellent petere ut omnes Deo obsequerentur, his verbis uti: *fiant quae voles, in caelis terrisque?* in primis cum ipsa haec verba et formulae, quibus utitur Christus, maxime essent in precibus Judaeorum frequentata, omniumque in ore ferrentur; aut quis credat necesse fuisse, ut vel ad Grammatici subsellia Christus descenderet, discipulosque loqui doceret?

Neque vero audeo defendere sententiam popularem, quae vult Christum exhibuisse formulam, quam ipsis verbis, ipsoque ordine verborum servato, sequeremur. Quid enim formula opus est in adorando Deo? cui profecto magis placet animus pietatis in eum plenus et verba sponte ex hoc

Digitized by Google

fonte manantia, quam arte quasi quadam composita oratio, aut quae verbis potius alienis quam suis expressa sit. Nec arbitror, Lucam plures hac in oratione sententias praetermissurum fuisse, si, quod in formula solemni exspectatur, easdem omnino sententias eaque ipsa verba servanda putasset. Quamquam non diffiteor, bene servari integram hanc Christi formulam, ipsa etiam, quae praeivit, verba, si quidem ea recte intelligantur omnique animo consentiente usurpentur. Quis enim non lubens gratusque utatur hac universa formula, si vel sententiae vel verba commoda non suppetant, quibus, quae sentiamus aut anquiramus aliquo tempore et aliqua in necessitate, cum dignitate eloquamur? aut quis audeat, quae a tali et tanto magistro profecta sint, meliora facere? Quod et ecclesia Christiana ab ultimis usque temporibus existimasse videtur, cujus consuetudinem fas est, in cultu certe publico, aut tum imitari, cum singulares animi motus, aut propriae caussae necessitatesque non sint commendandae Deo.

Magna autem sapientia Christi in hac oratione discipulis suis proposita cernitur. *Primum* quidem, quod veteres easque familiares Judaeis sententias et verba receperit, quorum neque aures, tamquam re nova, offenderentur, et animi caperentur institu-

Digitized by Google

torum vetustate, qua nihil carius habebant. Iamdudum enim iis uti consuevisse Judaeos, aliquot etiam harum sententiarum exstare in celeberrima precum formula, quam קדיש solent appellare y), multi, veluti *Schoettgenius* z), docuerunt.

Praeterea haud scio an se magis adhuc accommodaverit doctrinae Joannis Baptistae, e cujus disciplina scimus multos se Jesu institutioni dedisse. Ita mihi quidem videtur: hanc formulam referre Joannis disciplinam, auctam quidem et perfectam, talem omnino, qualem descripsit Lucas capite Evangelii tertio, ut de utriusque admonitionibus non dubitem uti Terentii verbis: *non ita dissimili sunt argumento, quamquam dissimili oratione sunt factae ac stilo.* Joannes igitur, ut illam similitudinem paullisper adumbremus, vers. 8: *nolite*, inquit, *animum inducere*, ut dicatis: *Patrem habemus Abrahamum*, *omnis enim generis homines*, ut praemonuerat vers 6, *Dei salutem videbunt* (ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ) h. e. fructum Sospitatoris a Deo missi capient. Sic

y) Vide *Bodenschatzii aufrichtig teutsch redenden Hebraeer*, Part. III. p. 84. 85.

z) in *Horis hebr.* ad h. l. inprimisque in libro non admodum obvio: *der Rabbiner* p. 319. seqq.

Digitized by Google

et Christus suos jubet Deum invocare tamquam *Patrem nostrum*, *sed qui sit in caelis*, ut aliis in precibus, Joh. 17, 2 Patrem profitetur sibi dedisse ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, ἵνα δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον, ut paene videatur superiora Joannis Baptistae verba ex Esaiae oraculis depromta interpretari velle. Cum porro docet rogare: *Nobilitetur nomen tuum*, quid suadet aliud quam illud μετανοεῖν, et ἐπιστρέφειν ἐπὶ θεὸν, quod proprie ingerebat Judaeis Joannes, cujus baptismus vers. 3. ex hoc βάπτισμα μετανοίας fuit appellatus. Hoc autem omni sermone commendaverat, ut est apud Matthaeum III, 2, propter ea quod instaret *regnum caeleste*, quod, ut accederet et latius propagaretur (ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου) item in votis esse suorum ab iisque vult Christus efflagitari. Iam *fructus* dum postulat Joannes vers 8. ἀξίους τῆς μετανοίας, dignos illo animi probitate, qui illi feruntur, nisi cum *voluntati divinae obsequimur*, ut Christus rogare jubet? Tum illa pars formulae sive dictum, quo Christus admonuit suos, ut sint *quotidiano* victu et iis quae in futurum jam parata sint a Deo, *contenti*, non ipsis quidem his verbis restat in Joannis commemorato sermone; sed quid vult ille aliud praecipere, cum versu 13 et 14 in singulari quadam caussa milites nihil vult exigere praeter id quod liceat (παρὰ τὸ διατεταγμένον) et contentos esse stipendiis

suis? Omnis autem animi morumque emendatio, quam debebant Joannis discipuli suscipiendo baptismo polliceri, commendabatur εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, quam ipsam complectitur ea quae sequitur in oratione nostra sententia, qua rogamus: ut nobis *debita remittat nostra.* Postremo, quae fugere deberent Joannis discipuli singula cujusque conditioni et moribus propria eaque enumerata versu 10 seq. haec complectitur Christus universe, dum jubet rogare Deum: ne nos concedat incidere in tentationis laqueos; sed ex his ipsis expediat. Atque haec hactenus.

Majus autem quiddam hoc est denique, et perspicuum sapientiae Christi documentum, quod hac in oratione non modo inter se apta colligataque sint omnia, sed ea etiam vere summam et quasi expletam rerum omnium comprehensionem complectatur, quae sint Christianis a Deo expetendae. Christiana videlicet virtus ad Deum omnia referenda putat, illaque animi conformatione vera, quae religionis est, pietas continetur; ab ea igitur, tamquam a bonorum omnium fonte ac principio, repetit omnia: *Caelestis Pater, nobilitetur nomen TVVM!* Quod quidem, quoad est in hominis potestate, maxime duabus e rebus pendet, una, recta Dei ejusque voluntatis cognitione, quae quo latius

Digitized by Google

est inter homines diffusa et propagata, hoc purior et quasi ardentior Dei cultus nascitur (*Utinam TVVM veniret regnum!*) altera, divinae voluntatis obsequio (*Fiat voluntas TVA ubicunque locorum, ut in coelis sic pariter in terris!*) Haec cultum continent Dei. Nunc et providendum putavit Christus hominum necessitatibus, cum corporis, tum multo magis animi. De corpore satis habet Christianus, cum suppetunt quae ad vitam sine cura, ac potius sollicitudine, degendam pertinent; *pauem* quidem Hebraeorum more omnia ad corporis cultum necessaria complecti, satis constat (*Victum semper nobis paratum da nobis hodie!*) Potior est cura animorum, quae, cum ad virtutis studium refertur, in fugiendis vitiis amplectendaque rerum honestate cernitur. Hanc quidem bonorum appetitionem expetendam a Deo jusserat in illis; *Tua semper voluntas fiat!* Sed cum ad vitiorum declinationem se ejus oratio convertit, ea vel jam admissa spectat vel imminentia Christianis. Illa, quae semel admissa cum dolore sentiuntur, nec fieri infecta possunt, hactenus deleri precibus jubet, ut Deum de *eorum condonatione* rogemus, qui et avertere poenas et benivolentiam conservare suam nobis queat; cetera, hoc est futura, praeverti deprecando, ne libidinis blanditiis, quibus difficile est obsistere, auferamur. Quibus omnibus satis munitur,

Digitized by Google

alitur, et conservatur Christianorum virtus; nec quidquam intelligo quod desiderari amplius possit, non comprehensum praeclara hac Christi formula, quam *maxime* completam omnibusque numeris absolutam precandi legem rectissime mihi videor dixisse.

PP. Halae pridie Natalis Christi celebrandi A. C. MDCCCI.

Digitized by Google

II.

DISPVTATIO

DE

SPIRITU SANCTO

PRIMIS CHRISTIANIS

AB APOSTOLIS

PER IMPOSITIONEM MANVVM TRADITO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nullum fere in libris sacris obscurum magis aut ambiguum verbum est, nullum quod plures controversias pepererit aut opinionum temeritati vel in ipsis Theologiae disciplinis magis locum dederit, quam frequentatum maxime Πνεύματος verbum. Cujus in definienda vi, hujusque describendis digerendisque generibus, etsi multorum diligentia elaboravit a): hac tamen ipsa haud scio an, multis quidem in locis, verae significationis intelligentia vel impeditior facta fuerit? Certe,

a) Videant tirones diligentissimum inter Lexicographos *I. F. Schleusnerum* Nov. Lexic. Gr. Lat. in N. T. Tom II. p. 541 sq. *Guil. Frid. Hezelii* Entwickelung der schweren bibl. Begriffe Geist und Fleisch, in des *Schriftforschers* Vol. II. Part. I. p. 17. seq. et *Io Ern. Christ. Schmidtii* inchoatam ea de re disputationem in der Bibliothek für Kritik und Exegese des N. Test. Vol. I. Part. II. p. 226. sq. quos viros honoris caussa nomino.

Digitized by Google

si vel nulla hujus verbi vis doctorum virorum sagacitatem effugerit, nec ulla temere suscepta fuerit, sunt in ejus significationibus, veris illis quidem nec ullam dubitationem habentibus, quaedam singularibus in locis ita facile admissae atque ita perpetua sive interpretum sive lectorum repetitione frequentatae, ut vix cuiquam in mentem veniat aliter ibi, quam usu venit, interpretari, aut non iniquum videatur, vetustatis auctoritatem relinquere. Ne quid igitur ea in re temere faciamus, nec culpa nostra careamus eo quod verius est, numquam, ad aliquem talem locum delati, acquiescamus in aliorum auctoritate, sed diligenter videamus, an satis certa sit, quae verbo tribuitur, vis? an loco ei, de cujus quaeritur sensu, recte accommodata? aliane commodior interpretatio, quae et idoneis argumentis asseri possit, nec sit iisdem, quibus ceterae, difficultatibus obnoxia? Ejus generis quosdam locos obscuritate insignes, nobis in Lucae commentariis de rebus ab Apostolis gestis oblatos, tentabimus per hanc opportunitatem illustrare; qui quidem tradunt, Apostolos quibusdam in Christianorum societatem cooptatis, *Spiritum sanctum*, *manibus impositis*, *tribuisse*; quod quid sit, aut quo modo factum, difficile est dicere. Unus quidem est Act. XVIIII, 1—7., alter cap. VIII, 14 sq.; addi posset tertius e cap. X,

44. sq., quamquam aliquo modo diversus. Sed, quoniam ille primus luculentior est et continet, quae ceteris lumen afferre possint, de eo primum videamus.

Paullus cum Ephesum venisset, nactus ibi quosdam discipulos, dicitur ex iis quaesivisse: *an, fide suscepta, Spiritum sanctum acceperint?* quod quidem negarunt, *neque adeo se*, responderunt, *fando audivisse, quod sit Spiritus sanctus.* Atqui illi *discipuli* (*μαθηταὶ*) non sunt proprie Christiani h. e. de illo discipulorum genere quod complectitur hos, qui de Christi praecepto aqua sacra tincti fuerant, ut Jesum esse Christum profiterentur. Erant enim non nisi Joannis baptismo lustrati, ut est v. 3. extr. ac posthaec demum v. 5. tingebantur *in Domini Jesu nomen.* Nec omnino *Jesum* putabant esse Christum eum, quem exspectabant; eos enim, perspicue tradit Lucas v. 4, initiatos baptismo a Joanne ut crederent in eum, *qui post hunc* (Joannem) *esset venturus;* eum autem in Jesu agnoscendum esse, sive *Jesum* esse Christum, id postea discebant e Paullo b),

b) Haec quidem verba v. 4: *τουτέστιν εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν*, quibus persequitur Paullus ea, quae de Joannis baptismo narraverat tamquam collato *ἵνα πιστεύσωσι εἰς τὸν ἐρχόμενον*

atque; hac re intellecta, in nomen Domini *Jeſu* luſtrabantur v. 5. Sumimus ſcilicet, hunc verſum quintum non Paulli verba continere ſed Lucae, referrique debere ad hos; qui, Paulli declaratione percepta, nunc Chriſtianam luſtrationem ſubibant; quod ita eſſe, non lubet iterum docere poſt tot de ea re doctorum virorum diſputationes, nec hodie quemquam credimus contra dicturum, deleto jamdudum metu imminentis ex hoc loco doctrinae de baptiſmo periculi. Eſt igitur *diſcipulorum* nomen, quo uſus eſt Lucas, paullo latius accipiendum de iis, qui Chriſtum jam tum crederent in terrarum orbe verſari, etiamſi, quis ille eſſet? aut cujus in perſona quaerendus? omnino ignorarent.

μενον μετ' αὐτὸν, haud dubie ſunt Paulli interpretantis, quis ſit ille ἐρχόμενος annuntiatus a Joanne, *Ieſus* videlicet, in quo quaerere Chriſtum deberent; modo fere eo, quo Paullus Rom. 10, 6. 7. per illud τουτέστι Moſis quaedam verba interpretatur aut accommodando transfert in Jeſum noſtrum. Eſſe autem in hac formula Ἰησοῦν eum, de quo dicitur, et Χριστὸν ei aliquid attributum, ſ. cognomen, uſus loquendi a Lucae frequentatus perſpicue docet. Vide modo Act XVIII, 5 et 28. Idem illud dixerim de formula v. 5. cap. XVIII. ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα Κυρίου Ἰησοῦ, in *nomen Jeſu tamquam Domini* ſ. ſic ut profiterentur, *Jeſu* tribuendum eſſe nomen *Domini* ejus, quem exſpectabant.

Digitized by Google

Nempe Joannes Baptista cum initium docendi baptizandique fecisset, ἠγγικέναι professus est τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν Matth. III, 2. h. e. instare, *adesse novam rem publicam Dei*, aut, quod idem est, venisse *Christum*, (haec enim inter se permutantur Act. VIII, 12 et 5 atque etiam alibi). Quem etsi *post* se venturum nuntiaverat, Jo. I, 27 h. e. docturum post Joannem, qui se ei viam dixerat paraturum, tamen vel hic ipse declaraverat v. 26. μέσον αὐτῶν ἑστηκέναι ὃν αὐτοὶ οὐκ οἴδασι, *inter illos* jam *esse*, *quem nondum cognoverint*. Neque vero is ipse, quis esset ille Christus, tenebat ante, quam Jesus ab eo, ut aqua sacra lustraretur, efflagitasset, divinitusque Joannes esset admonitus, quo signo illum Christum dignosceret (Jo. I, 31 seq.) Non igitur oportet admirari, quod ii quoque, qui in ipsis initiis baptismi Joannei baptizati essent et Christi adventum professi, posthaec autem in alias extra Judaeam oras, veluti hi, de quibus disputamus, Ephesum, delati, quod hi, inquam, ignoraverint, *Jesum* hunc Christum esse, etiamsi in Christum praesentem credidissent rectissimeque a Luca *discipuli* essent appellati.

Iam istis e discipulis quaerit Paullus v. 2. Εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε, πιστεύσαντες; quibus illi respondent: ἀλλ' οὐδὲ, εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστιν, ἠκούσαμεν. Quae sunt perobscura,

Digitized by Google

ſed prius illuſtranda, quam de illo πνεύματι iſtis collato dicamus. Incidit igitur, narrante Luca, Paullus in πιστεύσαντας h. e. eos, uti diximus, qui crederent, ſ. aſſentirentur Joanni dicenti: adeſſe regnum Dei ſ. Chriſtum, quamquam, quis is eſſet, neſcirent, proptereaque nec Jeſum hunc eſſe putarent, nec eum ejusque diſciplinam aliis commendarent. Hos Paullus agnoſcit diſcipulos ſ. πιστεύοντας, ſic enim appellat; ſed in iis deſiderat aliquid, quod πνεύματος ἁγίου nomine complectitur, aut unde colligit, eos Spiritu S. vacuos eſſe. Id quomodocumque interpreteris, conſtat e ſuperiori diſputatione, profeſſos hos quidem eſſe Chriſti adventum, alioquin qui potuiſſent Paullo πιστεύοντες videri? nec tamen Jeſum tamquam Chriſtum celebraſſe; uno verbo, religioſos Judaeos fuiſſe, qui non tam, Simonis inſtar et aliorum ſimilium (Luc. II.), adventantem Chriſtum praeſtolarentur, quam potius jam tum inter homines verſantem exiſtimarent, at proprie Chriſtianos nullo modo [c]). Qui qui-

c) Plane haec confirmantur per illa, quae ſuperiore ſectione (cap. XVIII, 24) de Apollonio ſcripſerat Lucas, digna quae noſtro cum loco comparentur, praeſertim, cum una re Lucas ad alteram narrandam ductus videatur; ſunt enim non modo narrationis contextu conjuncti loci, ſed etiam ita inter ſe

Digitized by Google

dem Paullo de πνεύματι ἁγίῳ quaerenti, utrum acceperint? reſpondent: *ne audiviſſe ſe qui-*

ſe ſimiles, ut, uno bene intellecto, alter aliquid luminis lucretur. Apollonius videlicet erat (v. 25), pariter ut Epheſii noſtri, ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου, *tantum Joannis baptiſmum expertus;* ſic quidem interpretor verba, ut apud Paullum 2 Cor. V, 21. Chriſtus eſt μὴ γνῶν ἁμαρτίαν, *expers omnis peccati.* Sed quamquam erat κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου, *viam Domini edoctus*, magnaque animi concitatione diligenter (ἀκριβῶς) in Judaeorum ſynagoga docebat quae ad *Dominum* pertinerent, τὰ περὶ τοῦ Κυρίου; (additum illud in communi textu Ἰησοῦ repudiant optimi codices ac verſiones, et tamquam commenticium ipſa narratio reſpuit): tamen neceſſe habebat, ut diligentius ſibi *via Dei* exponeretur. Aquilam certe et Priſcillam Lucas tradit v. 26, ei ἀκριβέστερον ἐκτιθέναι τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδόν; quo facto demum v. 28 Judaeos publice coarguit, demonſtrans per Scripturas: *Jeſum* eſſe *Chriſtum.* Enimvero, ſi, quod nemo dubitat, is Chriſtianus proprie eſt, qui *Jeſum* profitetur Chriſtum eſſe, non fuit Apollonius talis ante, quam *accuratius* inſtitutus eſſet de via Domini; quae via igitur (ἡ ὁδὸς τοῦ Κυρίου) non, ut alias, ipſam continet doctrinam Chriſtianam h. e. doctrinam a Jeſu traditam eumque tamquam Chriſtum exhibentem, ſed viam eam quam Joannes paraverat Domino Matth. III, 3. h. e. profeſſionem, jam inter homines adeſſe verſarique Chriſtum, quamquam et ipſe

dem quod ille jam sit. Quae verba discipulorum Joannis secus, quam ex ipsa ejus disciplina, explicari non possunt. Atqui is (Matth. III, 11) se quidem aqua professus fuerat discipulos imbuere, venturum autem s. Christum eosdem πνεύματι ἁγίῳ imbuturum. Quidquid tamen sit istud πνεῦμα, aut ille βαπτισμὸς πνεύματι factus, de quo deinceps videbimus, certe facultate quadam, aut dono, aut animi affectione aliqua singulari continetur; omnibus enim in locis, qui πνεῦμα cum aliis communicatum commemorant, haec inter

ipse Joannes et qui ejus baptismo imbuti essent, nondum, in quo ille nominatim quaerendus esset, tenebant. Obiter non negligamus hoc, quo quidem suo loco utemur, Apollonium, melius edoctum, ut ait Lucas v. 27, contulisse cum credentibus διὰ τῆς χάριτος. Quae Graeca verba non conjungenda videntur cum τοῖς πεπιστευκόσι, sed cum verbo συνεβάλετο. Nam quem ad modum Apollonium dicit locutum cum credentibus et (v. 28) convicisse Judaeos, sic planissime alibi cap. VI, 9. 10. Stephanum refert disputasse cum Judaeis ita, ut nemo posset resistere τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ ΠΝΕΥΜΑΤΙ ᾧ ἐλάλει. Hujus ob similitudinem loci, illud διὰ τῆς χάριτος referendum est ad disputandi vim, et χάρις est dicta pro χαρίσματι sive σοφία et πνεύματι, pro quo et ipsum substituitur χάριτος verbum Act. VI, 8, ut quidem ibi praestantissimorum codicum auctoritas habet.

Digitized by Google

se tamquam paria substituuntur; ut Act. VIII, 20 δωρεὰ τοῦ Θεοῦ est pro πνεύματι ἁγίῳ v. 18. 19 et idem hoc cap. X, 44, redditur v. 45 per δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος aut c. XI, 17 simpliciter δωρεά. Formula autem ipsa: ne audivimus quidem εἰ πν. ἅγιον ἐστιν, plane eadem est quae in Joannis Apostoli Evangelio c. VII, 39: οὔπω ἦν πνεῦμα ἅγιον, scilicet ἐκχυνόμενον, (διδόμενον, ἐρχόμενον,) ὅτι Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη, *nondum erat Sp. S. Jesu discipulis tributus, dum nondum hic erat ad illustrem conditionem evectus.* Hoc nimirum significant isti Ephesii: nondum se audivisse, quis sit ille Christus, aut quod quis se eum demonstraverit conferendo Spiritus S. baptismo, nec igitur se hoc imbutos esse; negabant se aut ignorabant incidisse in illud tempus, quo, praedicente Joele (cujus oraculum est Act. II, 16 sq.), effundendus esset Spiritus Dei in omnis generis homines. Quis enim dubitet hoc oraculum animo Joannis Baptistae obversatum, cum illud omnium Judaeorum ore celebraretur, atque ipsi Apostoli, cum vere consecuti essent hoc beneficium, statim istud oraculum eventu comprobatum edicerent?

Sed veniamus ad istam vim πνεύματος, quod desiderabant hi Joannis discipuli et, Paullo posthaec manus iis imponente, consequebantur, ac videamus, quoniam sensu eo

fuerint imbuti. Quod quidem plerisque satis apertum videtur. Etenim cum narrasset Lucas v. 6.: dum Paullus iis admovisset manus, Spiritum S. in eos illapsum esse, statim, tamquam rem obscuram declaraturus, addit: ἐλάλουν τε γλώσσαις καὶ προεφήτευον, *loquebantur extraneis* s. *barbaris linguis* et *vaticinabantur*. Est igitur, sic quidem sentiunt, in promtu, *Spiritum* S. in eos collatum, dono linguarum contineri h. e. accepta repente facultate, quae animo sentirent, exprimendi non lingua sibi vernacula, sed aliis, quarum nullam adhuc facultatem habuissent, quas aliquo Dei appulsu afflati subito didicissent; itemque vaticinandi h. e. futura praesagiendi edicendique dono. Sed vereor, ne non satis acute viderint, celeriusque, quam debuissent, de ea re judicarint. Quid enim? si vim illam utriusque facultatis comminiscantur et sumant tamquam exploratum id, quod magnam habeat dubitationem aut certe in disputationem cadat? Quid? si Lucas concessi beneficii effectiones, quibus se illud prodidisset, exposuerit, non ipsum beneficium declaraverit? aut illi, neglecto capite rei, amplexi sint, quae ad illam rem accesserint, et abesse, salua re ipsa, potuissent? Clarius eloquar, ne videar ipse sumere magis ea quam docere.

Ac primum de eo, quod illi novitii Christiani γλώσσαις locuti fuerint, facile

concedo id, quod nuper contra *Herderi* conjecturam d) viri docti, veluti *Storrius* e), V. Ven. defenderunt, γλώσσαις λαλεῖν ubicumque locorum N. Test. esse eorum, qui, non vernacula, sed peregrinis linguis utuntur, sive sibi sint, sive his, quibus loquuntur, peregrinae ac barbarae. Sed *primum* licebit quaerere: cur, qui popularem de miraculosis dotibus sententiam tuentur, istud λαλεῖν γλώσσαις et προφητεύειν sumant interpretationem τοῦ πνεύματος esse, sive το πνεῦμα hac ipsa facultate *loquendi vaticinandique* contineri, sic, ut qui aliquo tempore πνεύματι imbuti dicantur, hoc ipso demum utramque illam facultatem *acceperint*? cur non statuant potius, eos, qui γλώσσαις λαλοῦντες ac προφητεύοντες perhibentur, *usos* esse facultate quadam sua, eamque nunc prodidisse, quam accepissent jamdudum vel acquisivissent, πνεῦμα autem non ipsam dotem esse, sed impulsionem quandam animi et concitationem, qua ista facultas ad adhibendum excitata et quasi inflammata fuerit? Sic enim posse intelligi, quo jure audeant negare? ac, si negent, deinceps docebimus

d) in libro: Von der Gabe der Sprachen am ersten christlichen Pfingstfest, Rigae 1794. 8.

e) Dissertationis exeget. in librorum N. T. historicorum aliquot locos Parte tertia p. 79 seq.

Digitized by Google

(p. 63 sq.), hoc sensu in primis πνεῦμα in libris sacris frequentari. In iis quidem N. T. locis, quibus locuti quidam ita et vaticinati leguntur, τὸ πνεῦμα, tamquam id, quo effectum illud fuerit, diserte ab his ipsis effectis discernitur; ut Act. II, 4 loquuntur barbaris linguis, καθὼς τὸ ΠΝΕΥΜΑ ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι, et 1 Cor. XII, 4 sq. χαρίσματα ac v. 7 φανέρωσις τοῦ πνεύματος a πνεύματι, tamquam auctore, derivantur.

Quo modo *porro* docebunt id, quod tamquam certum et fixum sumunt, in verbo (πνεῦμα) atque formula *illapsi in quendam Spiritus* semper inclusam esse vim miraculi effectionisque rerum naturam excedentis; eos igitur, ut hoc utar, qui illapso Spiritu, coeperint linguis a vernacula diversis loqui, istas numquam ante didicisse, quam illis, data aliqua opportunitate, uterentur, sed subito earum usurpandarum facultatem consecutos esse? Nota sunt, quae nuper admodum, facem praeferente *Eichhornio*, sagacissimo exquisitissimaque doctrina interprete, a viris doctis contra disputata fuere [f]), nec

f) Vide *Eichhornii* Allgemeine Bibliothek der biblischen Litteratur Vol. I. p. 102 sq. Vol. II. p. 757 sq. cet., *H. E. G. Pauli* V. Rev. Neues Repertorium für blibl. und morgenländische Litteratur, Part. I. p. 288 sq. Part. II. p. 273 sq. et ceter.

Digitized by Google

lis, mea quidem ſententia, ſatis factum eſt ab his, qui pro populari ſententia dixerunt. Quae quidem ab illis ſubtiliter diſputata nec repetam hoc loco, nec aperiam, quo modo aut quare mihi videar ſive in interpretandis iſtis χαρίσμασι, ſive in modo, quo quibusdam contigerint, aliquantiſper diſſentire debere, in cauſſa quidem univerſa ut ab illis diſſentiam, a me impetrare non poſſum. Hoc unum addam! Varie expreſſa haec: *Spiritum S. in aliquem illabi* ſ. *infundi*, et: *imbui quendam Spiritu S.* ſ. βαπτίζεσθαι πνεύματι ἁγίῳ, nonne ſunt eadem reapſe? Enimvero Ioannes, Chriſtum ſe declaraturus longe ſuperiorem futurum, laetioraque promiſſurus tempora, quam quae afferre ipſe poſſet, Chriſtum ait ſuos imbuturum Spiritu ſancto Matth. III, 11, et alibi, Jo. III, 34. 35, eum non mediocriter (οὐκ ἐκ μέτρου) ſed pleniſſima menſura accepiſſe *Spiritum*, quem omnibus tribueret. Hunc igitur *Spiritum* nihil continere dicamus, niſi edendorum portentorum facultatem? de quibus ita ſaepe per contemtum loquitur Chriſtus, ut haec requirentibus reſpondeat, non haec peritura quaerenda eſſe, ſed alia majora bona, quibus in aeternum paſcantur (Joh. VI, 27 ſq.), diſcipuloſque ſuos nolit exultare de conceſſa ſibi vi ſpirituum ſubigendorum, ſed laetari potius, quod ſua ſint nomina inter caelites conſcripta (Luc. X, 20). Qui quidem Chri-

Digitized by Google

ſtus, cum (apud Joannem VII, 37) excitet univerſos, ut ſitientes veniant ad ſe atque bibant, ſpondeatque fore, ut ab iis viciſſim aquae vitalis quaſi flumina quaedam redundent in alios, (id quod Joannes, Chriſti familiaris, dictum ſcripſit (v. 39) de *Spiritu* quem conſecuturi eſſent in Jeſum credituri poſt ejus in coelum translationem): iis igitur perpetrandorum facultatem miraculorum promiſerit, qua ſine ſalutis aliquo diſcrimine carere poterant; plerique etiam profecto carebant, non quidquam auguſtius, quod illuſtri aquae vitalis imagine exprimeretur? Omnino, ſi quis cogitet, *Jeſum* Joannemque Baptiſtam in locis iis, quibus ſuos praedicunt Spiritu imbutum iri, infinite loqui, nec quenquam ab iſto beneficio excludere, pauciſſimos tamen fuiſſe qui vere donorum thaumaturgicorum redderentur participes; ſi quis mente complectatur ingenium vimque propriam diſciplinae Chriſtianae, quae, repudiata omni ſpecie rerum externarum et ambitione, unam urgeat caſtitatem animi cultumque Dei a vera in eum pietate (*πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*) profectum; ſi perpenderit denique, dotes eas, quae miraculoſae putantur, fuiſſe circumſcriptas infantiae Chriſtianae Eccleſiae anguſtiis, expiraturas autem ubi adoleviſſet (1 Cor. XIII, 8 ſq.), nec reperiri umquam certa et perſpicua exempla eorum, qui, cum creduntur afflatu aliquo

Digitized by Google

divino nacti facultatem barbaris linguis loquendi, iis, proficiscentes per terrarum orbem, usi essent ad Evangelium propagandum: valde dubito, quemquam animum inducturum, ut credat, Spiritum, quo imbuendi essent Christiani, eoque ipso discernendi a Judaeis, his extraordinariis donis contineri, non alia re longe majori eaque cum animorum salute arctius conjuncta. . . . .

Quam quidem rem latentem sub *Spiritus* verbo quaerentibus, quae prior occurreret, quam accuratior et plenior institutio doctrinae, eaque Joanni ipsi negata, a Christo demum exspectanda? Hanc enim saepe in N. T. libris hoc verbo significatam esse, inter omnes constat, nec dubitari potest, hanc fere Joanni πνεῦμα dictam esse in oratione ea, qua suam tenuitatem cum Christi excellentia comparat (Jo. III, v. 34.); propinare enim dicit Christum eloquia Dei, propterea quod ei Deus πνεῦμα non mediocriter dederit (τὰ ῬΗΜΑΤΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ λαλεῖ, οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ ΠΝΕΥΜΑ). Neque me hanc vim ad locum Act. XVIIII translaturum deterreret Lucae silentium, qui talis institutionis discipulorum Ephesiorum mentionem nullam facit. Quo modo enim incredibile videatur ac non potius sponte intelligatur, Paullum cum baptismo etiam, de Christi praecepto (Matth. XXVIII, 20), il-

Digitized by Google

lam doctrinae institutionem conjunxisse? nec necesse est statuere, statim cum baptismo illis Spiritum S. esse tributum, potuit certe id aliquo post baptismum tempore demum fieri, etsi Lucas brevitatis studiosus neutrum illud commemorat. Attamen, cur πνεῦμα ἅγιον hic nolim ad illam institutionem referre, in caussa est hoc, quod Lucas illam Sp. S. collationem factam dicit per manus iis ab Apostolo impositas, quae res nullo modo potest intelligi, nisi iterum sine idonea caussa ad miraculum, tamquam ad sacram ancho-ram, velimus recurrere. Tentemus igitur aliam ejus rei reperiendae explicandaeque viam. Nempe, Paullus cum istis applicu-isset manus suas, *illapsus est*, inquit Lucas, *in eos Spiritus S.*, *atque tum coeperunt Lo-qui* (barbarorum) *Linguis* et *Vatici-nari;* erant igitur haec duo ea, e quibus animadverteretur, vim illam, quae Spiritus S. nomine comprehenditur, istos loquentes movere. Atqui, quotiescunque in Scriptu-ris Sacris *vaticinatio* (προφητεία), tamquam quaedam effectio, arcessitur a Spiritu san-cto, jubet perpetuus loquendi usus, πνεῦμα intelligere de animi concitatione, quae lo-quentem pellat, magnamque et gravem om-ninoque inusitatam orationem fundat. Ita quidem Seniores LXX. Num. XI, 25, cum Deus de πνεύματι, quod illapsus esset in Mo-sem, aliquid in eos transtulisset, subito *va-*

tici-

Digitized by Google

ticinati fuere, h. e. ut v. 17 docet, partiti sunt cum eo populi regendi onus, aut, si mavis, jus populo dicendum, ea lege, ut in re publica administranda is majores, hi minores caussas susciperent, Exod. XVIII, 26. Ita pariter Saulus et alii, 1 Sam. X, 6 et 10. XVIIII, 20 sq. cum in obvios sibi vates incidissent, *illapsum* in se senserunt *Spiritum*, iidemque coeperunt *vaticinari* (יִתְנַבְּאוּ) h. e. ut hodie optimus quisque interpres intelligit, versus et carmina effundere. Ita Zacharias apud Lucam c. I, 67. πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου προεφήτευσε, eodem profecto sensu; et Elisabetha v. 42, Mariae adspectu concitata, vel foetus vehementes in utero motus sensit v. 41, atque sic ἐπλήσθη πνεύματος ἁγ. et magna voce exclamavit ac laudes felicitatemque Mariae celebravit; in quo quidem extremo exemplo ne minima quidem miraculi necessitas apparet, sed una vis naturae. Quo modo igitur, si haec ad locum nostrum transferantur, omnem illam discipulorum Ephesiorum caussam intelligamus? Mihi quidem, quae ille loquendi usus, Judaicum illorum ingenium, et aliorum exemplorum similitudo offert, una cogitatione complectenti ita videtur. Christum adesse ac tempus, quo sibi βαπτισμὸς πνεύματος impertiretur, imminere, et constanter e Joannis disciplina tenebant hi apud Ephesios Judaei et vehementer anquirebant. Ecce, Paullum audiunt de illo

baptiſmo jam conceſſo quibusdam, tamquam de re certa loquentem, eundemque aſſeverantem, Jeſum, quem profiteretur cujusque auctoritate loqueretur, eſſe hunc, qui jam Spiritum vere concederet credentibus. Quod ſibi dictum exiſtimantes, non dubitant in Jeſu nomen baptizari ejusque ſe diſciplinae dedere, ut tanti beneficii compotes redderentur. Qua cum nova initiatione ſi quis dicat Paullum uberiorem hujus diſciplinae declarationem conjunxiſſe et beneficii magnitudinem certitudinemque oratione amplificaſſe ſua, aut, quae propoſuiſſet, e libris ſacris ipſisque Joannis ſermonibus confirmaſſe, nihil inepti dixerit aut alieni a Paulli conſilio, ac non potius rei praeſenti maxime accommodati. Quidquid tamen ſit, effecerunt haec omnia, vehementiſſimum exoptatiſſimae rei deſiderium, laeta ſpes ejus potiundae, pectoris commoti ſenſus, adiutus fortaſſis gravitate Paullinae orationis, certe manuum ejus applicatione, cujus a divinis magiſtris adhibitae vis maxima putabatur apud Judaeos g), ut furore divino ſe incenſos ſentirent, qui, cum ſemel exarſiſſet, quaſi quodam Numinis inſtinctu, quae audiviſſent, proloquebantur aliisque nitebantur perſuadere; hoc enim eſt iſtud *vaticinari* (προφητεύειν), ut ſaepius in volumine ſacro, non: futura praedicere.

g) Vid. interpretes ad Matth. XVIIII, 13.

Digitized by Google

At quid fiet linguarum varietate, qua illos Lucas scripsit usos in laudibus Dei celebrandis (ἑτέραις γλώσσαις)? Usu nimirum venit existimari, has linguas iis ante incognitas fuisse earumque vim nunc demum a Deo injectam; quod vereor ne comminiscantur. Lucas quidem nihil hanc in rem dicit, sed illi temere sumunt. Fac istos Judaicos Joannis discipulos vel omnes vel ex iis aliquos jam, praeter vernaculam linguam s. Aramaeam, graece aut latine loquendi facultatem habuisse, his tamen profanis in rebus sacris uti nefas putasse. Judaeos enim, praecipueque severiores, quales erant illi de Joannis disciplina, satis constat, ab usu alius, quam suae, id est sacrae, linguae in religione colenda tradendaque vehementer abhorruisse h); ut qui omnes gentes odio maximo prosequerentur nec eas ipsa cognitione divina, nisi omnia Judaica in moribus quoque induerent, dignas putarent esse. Quare, cum primi de Judaeis Christiani Hierosolymis expulsi in alias confugissent terras, Antiochiamque pervenissent, non nisi Judaeis Christianam doctrinam enarravere, ex iis ta-

h) Vide I. G. *Carpzovii* Critic. S. Vet. Test. p. 202 sq. I. A. *Ernestii* Exercit. Flavian. I. Corollar. alterum: de odio Judaeorum vett. adversus literas graecas, Lips. 1758. cet.

Digitized by Google

men alii Helleniſtis quoque Jeſum nunciaverunt Chriſtum eſſe (Act. XI, 19. 20). Quid igitur? ſi Epheſii iſti Judaei, de quibus loquimur, pariter principio inſtantem ac potius praeſentem Chriſti adventum non tradiderint niſi Judaeis, poſt autem, a Paullo accuratius edocti, Ἕλλησι quoque h. e. paganis, — quod cuinam incredibile videatur, qui meminerit, Paullum ubique gentium utrisque, Judaeis et paganis, vindicare jus conſequendae per Jeſum Chriſtum ſalutis, et vero etiam ipſum Lucam narrare (Act. XVIIII, 10), ex eodem omnes Aſiam incolentes, *Judaeos et* Ἕλληνας, audiviſſe Domini doctrinam? — non liceat ſtatuere: primum hos Epheſios Joannis diſcipulos cum popularibus ſubobſcure idque vernacula lingua de Chriſto locutos, poſt, Paulli oratione Chriſtianoque furore (ἐνθουσιασμῷ) inflammatos, alienigenis h. e. Graecis et Romanis Epheſi habitantibus Jeſum, Graecorum Romanorumque, extraneis igitur et profanis, linguis, commendaſſe? Ita facile videas, cur variis uſi linguis dicantur (ἐλάλουν γλώσσαις); nam Ebraea h. e. Aramaea cum Judaeis, graeca et latina cum ceteris loquentes, ab utroque auditorum genere facillime poterant intelligi, lubentius ab utroque audiri, utrique etiam re ipſa perſuadere, unam ex utroque ſocietatem Chriſtianam conflatam conjungendamve eſſe.

Digitized by Google

Neque tamen quisquam nos arbitretur, universam vim *Spiritus sancti*, concessam his, terminare et quasi concludere uno illo ad docendum disparilique lingua loquendum impulsu. Latius patet id quod *Spiritus divini* nomine comprehenditur. Quidquid enim insolens est, quidquid alicujus rei, inprimisque humani generis aut plerorumque hominum videtur naturam excedere, repeti igitur a divina vi debere, ad eandemque proxime accedere, sive facultas sit, sive cogitatio quaedam et intelligentia, sive ad utramque adhibendam concitatio: id omne Ebraeorum consuetudo uno hoc nomine complectitur; interpretis est, ex iis, quae narrantur, colligere, an plus minusve, et quid proprie, quoque loco significet. Itaque, si quaeritur: quid sit βαπτίζεσθαι πνεύματι ἁγίῳ? quod quidem nunc contigerat discipulis Ephesiis, quo item debebant ii, qui essent de Christi disciplina, discerni ab his, qui unum Joannem sequerentur: mihi quidem videtur illud et ipso Jesu interprete, et dilucidius etiam ex istis, quae Lucas nostro in loco commemorat, intelligi posse. Jesus quidem Jo. IIII, 22 sq. dum respondet Samaritanae feminae, se esse Christum, praedicitque, futurum esse, immo jam incidisse tempus, quo veri cultores Dei, Deum ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ colerent, profecto his asserit istum verum Dei cultum, qui se Christum judicarent esse, cre-

derentque, non uni Judaeorum aut Samaritanorum genti, sed gentibus ubicunque locorum i), patere aditum ad Deum, omne igitur externum gentium discrimen, omne, ut cum Paullo loquar, μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ καὶ ἔχθραν (Ephes. II, 14. 15) sublatum, omnem illum Judaeos a ceteris separantem Judaismum deletum esse per Jesu Christi disciplinam. Quod, uti diximus, in loco nostro maxime cernitur. Nam illi de Judaeis Ephesii Jesum agnoverant Christum, abdicaverant se Joannis, solis Judaeis proprio, baptismo, Christianumque susceperant; jam et eandem rem publice profitebantur (quod est in προφητεύειν) et eloquebantur varietate linguarum (ἐλάλουν γλώσσαις); ipsa igitur re significabant se Christi beneficia omnibus gentibus destinata putare, nec illa solum sacra Judaeis lingua, sed profanis etiam, cuique commendanda esse.

Si vera sunt haec, quae de Spiritu S. communicato cum his admissis ad Christianam disciplinam Ephesiis, ejusque communicati modo diximus: non est magica quaedam vis in ipsa manuum Apostolicarum impositione quaerenda, sed et Paulli institutio et cetera, quae vel haererent in illis e dis-

i) Samaritani isti v. 42. diserte Christum appellant τὸν Σωτῆρα ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ.

Digitized by Google

ciplina Judaica inprimisque Joannis doctrina, vel iis nunc accidissent, effecerunt illam animorum concitationem, quae divinitus injecta putabatur. Quod et aliud hujus rei exemplum confirmat in loco Act. X, 44 sq. ubi eadem, sine ulla manuum Apostolicarum applicatione, facta commemorantur. Namque ibi Cornelium ceterosque Romanos, Petro Apostolo disserente, invasit Spiritus sanctus ita, ut profanis linguis loquerentur. Qui cum audivissent e Petro (v. 34): Nullam in salute hominum procuranda Deum rationem externae conditionis habere, sed *in omni gente*, quisquis eum coluerit recteque fecerit, eum illi probatum fore, Jesum Christum *omnium* dominum esse (v. 36), ejus etiam caussa *omnibus* paratam peccatorum condonationem (v. 43); iidemque vehementer haec beneficia anhelarent ac cuperent in eorum cum Judaeis communionem venire (v. 30 sq.): ita suavitate orationis Apostolicae commotos sensere animos, ut continere se non possent, quin felicitatis magnitudinem suo modo decantarent h. e. non ipsa repeterent Petri verba, sed quae in suum quasi succum vertissent et sanguinem ipsique cogitando informassent, sua quoque, extraneis propria, lingua, latina videlicet aut graeca, redderent. Haec igitur illi, qui de Judaeis Christiani essent (οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ v. 45), γλώσσαις, barbaris iisque profanis linguis

Digitized by Google

expreſſa dicebant, Spiritumque ſanctum in eos illapſum arbitrabantur, propterea quod inſolita prorſus et inaudita, quae nec cadere in profanos putaſſent nec linguis profanis exprimenda, audirent ex hujus generis hominibus, nec talia aliunde, quam ex aliquo Dei afflatu, ducta judicarent.

Reſtat ad illuſtrandum alter locus, qui primos quosdam Chriſtianos refert Spiritum S. de Apoſtolorum manu accepiſſe, Act. VIII, 14 ſq. In quo quidem ſolent tamquam certum quiddam et ab ipſo Luca perſpicue ſignificatum ſumere: quod Apoſtoli eo conſilio Samariam profecti fuerint, ut ejus loci Chriſtianis Spiritum S. conferrent. Sed iſtius conſilii Lucas mentionem nullam fecit; ſatius ergo videtur exiſtimare, ut in cauſſa ſimili Act. XI, 22 ſq., Apoſtolos, cum audiviſſent, ad Samaritanos quoque permanaſſe Evangelii doctrinam hoſque illam aſſentiendo probaſſe, confirmare voluiſſe novitios Chriſtianos eosque in diſcipulorum Chriſti ſocietatem ſua auctoritate cooptare, ne, qui ſolis Judaeis jus tribuerent Chriſtianae civitatis, iſtos Samaritanos ab hoc jure arcendos putarent. Sed bene intelligentes, quam eſſet difficile, Judaeos, vel propter immortale odium Samaritanorum, perſuadendo trahere in hanc partem, atque praeſagientes, nefas iis adeo viſum iri, quod vel ſe ipſi contuliſſent ad

Samaritanorum improbam gentem k), nisi Deus ipse auctoritatem suam, perspicuo portento, interponeret: rogarunt Deum (v. 13), ut illis novitiis Spiritum S. largiretur; quod contigit quoque, cum istis manus imposuissent suas. Hic, quis sit ille Spiritus S. obscurum est; nihil enim additum in Lucae commentariis reperimus, e quo, id vere accidisse, intellectum fuerit; de miraculorum quidem facultate illis concessa nihil quidquam occurrit. Quidni ergo rem omnem interpretemur ad reliquos, de quibus supra disputavimus, locos? quo fiet, ut πνεῦμα ἅγιον sit in illa animi commotione et παῤῥησίᾳ, quae disertam redderet eorum tarditatem aut metum, impelleretque ut Christianae doctrinae excellentia et salubritate, cujus magnitudine se senserant commotos, ceteros cuperent incendere. Usos autem eos esse γλώσσαις s. dialecto quadam profana Judaeis visa, Lucas non pariter, ut in ceteris superioribus locis, commemorat. Recte sane et ita, ut, quae de istis γλώσσαις commentati sumus, egregie confirmet. Nam Samaritanorum linguam, constat, Aramaeae quandam dialectum, sacram igitur Judaeis fuisse; idcirco non profana lingua locuti poterant dici, quod secus erat in ceteris locis Act. X et XVIIII, ubi novitii Christiani vel Ἑλλη-

k) Conf. Act. XI, 2. 3 cum Io. IIII, 9.

Digitized by Google

νες erant, vel ad Ἕλληνας loquebantur. Diversitatis caussam videtis; nec tamen ea intelligeretur, nisi vera essent, quae de natura et consilio usus extranearum linguarum a nobis disputata fuere.

Omnes igitur loci, qui Spiritus S. ejusque per manus aut orationem Apostolorum factam collationem enarrant, vel docent: eum furorem (ἐνθουσιασμὸν) fuisse et quasi divinum impulsum, quo animi et linguae eorum, qui ejus ita participes facti essent, ad Christianae disciplinae professionem vehementer compellerentur, vel certe talem interpretationem admittunt. Sed et alios habemus in promtu, qui, Spiritum S. tributum dicentes primis Christianis, ita rem intelligi debere persuadeant. Quid enim luculentius potest esse hoc, quem in Lucae commentariis legimus Act. IIII, 29? ubi rogantes Deum Apostoli *Concede*, inquiunt, *ministris tuis ut doctrinam tuam omni cum confidentia* (μετα παῤῥησίας πάσης) *eloquantur.* Ecce terrae motu conquassatur locus, quo convenissent, et *replentur omnes Spiritu Sancto* (v. 31). Quo autem modo? Nempe, addit Lucas, *eloquebantur doctrinam Dei cum confidentia* (μετὰ παῤῥησίας). Nullius hic miraculi mentio facta, cujus edendi facultas immissa huic coetui fuisset; una confidentiae plena professio appellatur.

Digitized by Google

Est autem id in primis observatione dignum, quod Apostoli antea (v. 30) precibus a Deo simul flagitassent: *ut Deus manum extenderet suam, qua fierent curatio morborum et signa ac prodigia per nomen Jesu, sancti ejus filii.* Sed eorum nihil nunc editum narrat Lucas, dum *Spiritum S.* in eos profusum commemorat; hoc unum refert: istos doctrinam confidenter elocutos esse.

Accedat illustre Jesu Christi oraculum Io. VII, 38, quod simillimum esse loco in primis Act. XVIIII. nemo est quin sentiat. *Qui credit in me*, inquit, *ex eo effundentur aquae vitalis flumina. Hoc autem*, addit Joannes v. 39, *de Spiritu dixerat, quem consecuturi essent in eum credentes; nondum enim erat* (tum) *Spiritus S.* (datus) *cum nondum Jesus esset evectus ad gloriam.* Hic *primum* Jesus infinite loquitur, atque promittit Spiritum S. omnibus, qui in se credituri essent, non paucis proprium futurum Christianis, nec igitur miraculorum patrandorum facultatem oppido paucis concessam, atque Apostolis aliisque (Luc. X, 1—9. 17) jam ante datam, quam Jesus ad laetiorem vitam translatus esset. *Porro*, ut aqua vitalis haud dubie est Christi doctrina, quid illa effusio ex iis, qui eam admisere s. in eum credidere, aliud posset esse, quam publica ejus professio et largiter ab istis in

Digitized by Google

alios facta profusio ejus, quod et ipsi verum ac salutare esse ante cognovissent [l]). Cum igitur Apostoli, ut Joannis quidem interpretatio docet, quis esset Spiritus S. communicandus cum Christianis, e Christi praedictione bene tenerent: quid quaeso se hoc nomine et ipsos, post Christum de terra sublatum, consecuturos et collaturos aliis, sperare poterant ac dicere, quam illam sive facultatem, sive impetum arripiendae, sentiendae, aliisque persuadendae doctrinae Christianae? Hac, hac, inquam, re ille Spiritus S. continetur; cetera, quae habent prodigiorum speciem, omnia tamquam adventicia quaedam accessere, ad ipsum illum Spiritum S. necessario referri non debent.

Omnino e sermonibus Christi hoc quidquid est nominis transiit ad usum loquendi Apostolorum. In illis autem omnibus, ubicunque de eo, tamquam de aliqua re suis tribuenda discipulis, loquitur, numquam, quod scio, edendorum miraculorum vim significat, sed potestatem celeriter arripiendae percipiendaeque veritatis divinae, ejusdemque eloquendae impulsionem. Non repetam, quae supra (pag. 61) e Joannis Baptistae oratione Io. III, 34 excitavi, qui quidem elocutionem oraculorum Dei (τὰ ῥήματα

l) Vide, si placet, Opuscul. nostra Fasc. I. pag. 59 sq.

Digitized by Google

τοῦ Θεοῦ λαλεῖν) arcessiverat a Spiritu quem Deus Jesu concessisset; omittam etiam Jesaiae locum, quem Jesus transfert ad se Luc. IIII, 18, Spiritumque Dei ita in se illapsum seque illo imbutum profitetur, ut missum se sentiat qui pauperibus laetum nuncium afferret, et quae eodem de genere sequuntur; itemque Jesaiae alium, e quo Matth. XII, 18 sibi Spiritum Dei immissum pronunciat, ut gentibus denunciaret Dei caussam. De iis tantummodo locis dicam, quibus Spiritum suis pollicetur Apostolis. Unus est ille Matth. X, 19 sq. quo vetat, ne ad judicum profanorum tribunalia tracti solliciti sint, quidnam et quo modo loquantur; *dabitur enim*, inquit, *vobis isto tempore quod loquamini; neque enim vos estis locuturi, sed Spiritus Patris vestri loquetur per vos.* At, qui eadem ipsa sententia simili in loco Luc. XXI, 15 sic exprimitur: *Ego vobis dabo os et sapientiam, cui non possint resistere adversarii vestri aut contra dicere;* plane ut Act. VI, 3. 8 Stephanus, plenus *Spiritu S.* et *sapientia*, tanta cum vi narratur declamitasse Christi caussam, ut nemo adversariorum resistere potuerit *sapientiae et Spiritui*, quo loqueretur. Alter locus est Jo. XX, 22, ubi sufflasse dicitur Jesus atque dixisse Apostolis: *Accipite Spiritum S.!* Principio dubitari non potest, quin haec Christi non tam conferentis sint quam pro-

Digitized by Google

mittentis verba. Quoties enim post suam demum ex his terris discessionem, repetiit, fore, ut ille Spiritus immittatur Apostolis? atque jussit, ut Hierosolyma nequaquam relinquerent; sed expectarent veritatem promissionis, quam sibi a Patre denunciasset? promissionis videlicet, per quam spes facta esset Spiritus, quo imbuerentur (Act. I, 4. 5.) Enimvero haud scio an hujus sollemnis formulae: *Accipite Spiritum S.* eadem vis sit ac illius, qua usus est eodem fere tempore adversus Petrum (Jo. XX, 15, sq.:) *Pasce oves meas!* qua omnes fere consentiunt, Petrum postliminio in locum Apostoli, quo se indignum reddiderat, restitutum fuisse; certe et alibi praefecti Ecclesiis dicuntur *a Spiritu S.* constituti ad *pascendum gregem Domini* (Act. XX, 28). Etenim nonne eadem sunt haec: *Pascendas tibi trado oves meas*, et, quod Christus Matth. XVI, 19 eundem erga Petrum adhibet: *Dabo tibi claves coelorum!* quibus collatam ei dignitatem Apostoli facile agnoscas? Ecce! cum illa clavium traditione statim conjungit haec: *quaecunque vinxeris in terris, item vincta erunt in coelis, et quae in terris soluta dixeris* (aut remiseris), *soluta in caelis habebuntur;* quae quidem Matth. XVIII, 18 ita repetita sunt, ut orationis contextus perspicue doceat, de peccatorum condonatione locutum esse Christum. Atqui haec ipsa sunt prorsus, quae

Digitized by Google

nostro in loco apud Joannem illi formulae: *Accipite Sp. S.* subjungit: *Quibuscunque*, inquit, *condoneaveritis peccata, iis condonata sunto, et quibus negaveritis veniam, iis esto negata.* Haec igitur si quis inter se dicta Christi contulerit, potestne dubitare, Christum hac formula: Accipite Spiritum S., hos, quibus ita acclamasset, declarasse futuros eos, quorum interventu sua doctrina propagaretur? Enimvero jamdudum illos creaverat doctores disciplinae suae; itaque in hac Spiritus S. traditione non tam ipsa legatorum divinorum constitutio quaerenda est, quam promissio eorum, quibus ad illud munus vere obeundum idonei redderentur. Sed ea duabus rebus continentur. Nam primum necesse erat, ut quae e Christi disciplina didicissent, illis tum, cum uti deberent ac tradere aliis, recte venirent in mentem ac praesto essent, sive ut eorum cognitione tamquam re praesentissima moverentur; deinde, ut, remoto omni metu ac haesitatione, acriter se impulsos sentirent ad illa, quibus inflammatus esset animus, libere confidenterque edicenda. Haec sunt eadem ipsa, quae istos Christus jubet exspectare in loco Matth. X. Necesse est igitur, ut nomine *Spiritus sancti* accipiendi haec maxime celebrata agnoscamus.

Postremo loco placet repetere quaedam e Paulli ad Timotheum epistolis, quae et

adjuvare videntur eam, quam agimus, caussam, et vicissim ex ea luminis aliquid referre. Paullus igitur 1 Tim. IIII, 14: *Noli*, inquit, *non curare eam, quae tua est, dotem* (τὸ ἐν σοὶ χάρισμα), *quae data est tibi per vaticinationem* (διὰ προφητείας) *cum impositione manuum Presbyterii.* Hic *primum* non est quod dubitemus, quin presbyteri fuerint doctores, quo nomine vel ipsi Apostoli comprehendantur, sitque ea dos tum collata Timotheo, cum ei doctoris locus traderetur. Neque enim se ipsi Apostoli dubitant vel hoc sensu presbyteros appellare, ut Petrus 1 Petr. V, 1. 2; et quod hic communicatum dicitur χάρισμα per manus *Presbyterii*, id ipsum Paulus 2 Tim. I, 6 profitetur Timotheo per impositionem *suarum* manuum (διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν ΜΟΥ) contigisse. Haec autem facta esse tum, cum magister in Ecclesia constitueretur Timotheus, recte mihi videor colligere posse ex alio quodam loco 1 Timoth. I, 18, ubi προφητείαν, qua nostro in loco legitur istud ei χάρισμα tributum, Paullus perhibet edixisse, ut Timotheus στρατεύῃ τὴν καλὴν στρατείαν, *ut strenuum se militem ostenderet*, quod de obeundo doctoris munere fideliterque administrando semper usurpatur in Paulli epistolis, ut 1 Tim. VI, 12. 2 Cor. 10, 4 atque etiam alibi. Postulat id quoque vis verbi πνεύματος, quod est plane idem cum χαρίσ-

ματι, cui inesse vim loci, cuidam, tamquam Evangelicae doctrinae magistro, conferendi, supra satis p. 78 sq. demonstratum arbitramur. Suadet denique similis locus Act. XIII, 1-3., in quo προφῆται et magistri Antiochenae Ecclesiae leguntur, Spiritus S. jussu Barnabam et Paullum segregasse a ceteris ad conferendum iis *locum*, quo essent ab eo vocati (εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτοὺς h. e. haud dubie ad munus doctoris suscipiendum, quo sensu quam maxime frequentatur ut Act. XV, 38 et alias), iisque propterea *manus imposuisse suas*. Intelligitur *praeterea* datum Timotheo χάρισμα non tam collatum esse, quam ejus concedendi spem factam, ut illud ἐδόθη non uno est loco; veluti 1 Jo. V, 11; nec verba μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν tam significare id, quo ei hoc donum tribueretur, quam opportunitatem s. sollemnem inaugurationem, in qua significatio hujus exspectandi beneficii facta esset, quasi tu diceres: non *eo quod*, sed *cum* tibi manus imponerentur. *Porro*, quid sit: διὰ προφητείας σοι ἐδόθη τὸ χάρισμα, aperit alter ille locus 1 Tim. I, 18, in quo προαγούσας ἐπὶ Τιμόθεον προφητείας commemorat Paullus, quibus esset admonitus, *ut strenuum se militem exhiberet*. Quo quidem fit, ut debeat intelligi denunciatio prophetarum h. e. eorum doctorum, qui eum collocabant in ministri Evangelici loco, ad eamque rem inflammabant promissione, fore ut ei necessa-

ria ad locum cum dignitate fustinendum, facultas f. strenuus animus concederetur. Nihil enim, ut perveniamus *denique* ad id, cujus causa haec erat disputatio suscepta, nihil aliud videtur hoc χαρίσματι contineri, quam illa animi fortitudo, qua erat opus, nisi vellet Timotheus, ignavi militis instar, segniter locum doctoris tueri. Atque id mihi videtur Paullus ita significare in loco 2 Tim. I, 6—8., ut nullus dubitationi locus relinquatur. Sic enim ille: *Adhortor te*, inquit, *ut refocilles dotem Dei* (ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ), *quae tua est per impositionem manuum mearum* f. ex quo tibi manus imposui meas (ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τ. ἐπιθέσεως τ. χειρῶν μου). *Neque enim dedit nobis Deus spiritum ignaviae* (πνεῦμα δειλίας, mollem animum f. meticulosum), sed *fortitudinis et amoris et temperantiae. Nec igitur te pudeat professionis domini nostri, nec mei qui sum ejus caussa in vinculis, sed perfer mala communiter cum Evangelio pro fortitudine tibi a Deo concessa* (κατὰ δύναμιν Θεοῦ). Videtis, illud χάρισμα, illud πνεῦμα, includere τὴν δύναμιν, *fortitudinem* animi, quae cernatur παῤῥησίᾳ quadam in *professione* Christianae doctrinae, in *tolerandis propter eam adversis*, ignaviamque et metum contemnat. Illam ipsam vim verbi confirmant ea, quae habet Paullus 2 Tim. II, 1—3: *fortem te praesta pro beneficio tibi per Christum Jesum*

dato (ἐνδυναμοῦ ἐν τῇ χάριτι τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ), *et quae ex me audivisti praesentibus multis testibus*, fortassis iisdem, qui ei cum Paullo manus, ut supra diximus, imposuissent, *ea trade certis hominibus*, *ac perfer mala tamquam miles strenuus*. Confirmant idem illud alia, quae antecedunt cap. I, 13. 14. Nam, cum Paullus v. 11 sq. mentionem fecisset calamitatum, quas tamquam praeco et Apostolus et gentium magister perferret, addit inter alia haec: *novi eum qui possit depositum* (τὴν παραθήκην, id quod mihi traditum est et curae meae commissum,) *conservare*, et, conversus ad Timotheum v. 14: *conserva* s. *tuere praeclarum depositum per spiritum s. in te habitantem*.

Haec fere sunt, quibus confici posse videtur: in locis N. Test. omnibus, qui tradunt quosdam, suscepta fide Christiana, per Apostolos, impositis manibus, quamquam et adhibita invocatione Dei et accuratiore in doctrina Christiana institutione, *Spiritu S.* imbutos fuisse, nihil aliud quaeri et intelligi debere, quam effectam [illegible] omnibus singularem animorum concitationem, qua tamquam divini Numinis afflatu se senserint impulsi ut illam doctrinam laeti ac imperterriti profiterentur. Qua in re inest profecto majus ac divinius, certe magis fructuosum quiddam, quam in miraculis omnibus,

Digitized by Google

oſtentationis potius quam utilitatis ſpeciem habituris. Neque igitur horum deſiderio moveamur, nec temporum noſtrorum infelicitatem doleamus, quae vacua ſint portentorum illuſtriumque eventorum magnificentia, qua naſcentis Eccleſiae tempora carere non poterant, noſtra commodius carent. Habemus enim, ut ait Chriſtus, Moſen et Prophetas, ac potius *Jeſum Chriſtum* ipſum regnantem doctrina ſua, cujus diligenti commentatione ubi pectora incaluerint noſtra, ut incenſi ejus amore non modo ipſi fructum capiamus ſuavitatis ejus, ſed etiam aliis doctrina et exemplo commendemus eam, quid nobis putemus defuturum? quidni hoc ipſo veriſſime Spiritus ſancti participes nos factos gaudeamus? Hoc igitur agite in primis, *humaniſſimi commilitones*, his ipſis diebus, qui ſacri ſunt hujus in Chriſtianos primum profuſi Spiritus memoriae, atque, horum beneficiorum magnitudine ſtudioſiſſime cogitanda, cultu Dei publico ſancte obeundo, pietateque in Dominum noſtrum moribus Chriſtiano nomine digniſſimis exprimenda, non modo demonſtrate, vos hujus praeclari nominis non pudere, ſed ceteros etiam his veſtris ſtudiis ad ſimilem pietatem inflammate.

P. P. pridie ſollemnitatis Pentecoſtalis, die XXVI. Maii A. C. MDCCLXXXXVIII.

Digitized by Google

III.

DE

VERA VI ET RATIONE

DECRETI HIEROSOLYMITANI

ACT. APOST. CAP. XV.

DISPUTATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Quod in obſcuris incertiſque diſputationibus uſu venire ſolet, ut, qui in unam praecipuam difficultatem intentum habeant animum, cetera fere negligant, perſequendiſque, quibus illam declinent, veſtigiis, decedant de via ea, quae certum univerſae rei exitum dediſſet: id haud ſcio an acciderit pleriſque incidentibus in decretum Eccleſiae Hieroſolymitanae, cujus mentionem fecit *Lucas* Actor. c. XV. Quo cum interdictam vidiſſent **πορνείαν**, coeperunt mirari, quid eſſet, quod ſcortatio omninoque nefandae libidinis flagitia componerentur cum peccatis mediis quaſi et offenſionis magis aliquid quam turpitudinis habentibus, reſque maxime diſpares eodem paene numero notarentur; ac, ſi tamen graviora vitia cum levioribus interdicenda viderentur novitiis Chriſtianis, ceteris omnibus relictis, hoc unum genus animadverſione dignum putaretur? Hujus autem rei cauſſam et certum ambi-

Digitized by Google

gui vocabuli sensum quaerentibus non venit in mentem, quaerere: fueritne in Hellenistarum Judaeorumque, aut in Ecclesiae Antiochenae conditione aliquid, quo, qui de proposita quaestione Hierosolymis responderent, ad res nobili illo decreto comprehensas, nominatim ad πορνείας commemorationem, ferrentur? cujus generis si quidquam reperiri posset, et caussam, quae respondentium animos ad quatuor decreti partes direxisset, et earum ipsarum rerum vim teneremus. Tentemus igitur, an illam possimus reperire viam, eaque ad veram rationem vimque decreti Ecclesiae Hierosolymitanae pervenire. In quo utimur opportunitate Doctoratus theologici, Collegii nostri auctoritate collati in Virum Ven. *Petrum Hansenium*, Professorem Havniensem, m)

m) Natus ille vir maxime venerandus, cujus mihi semper carissima memoria erit, Havniae die VIII. Maii A. C. MDCCXLVI, post reditum e nostra et Jenensi academia, anno MDCCLXXI. vocatus est Hellingoram ad locum Diaconi suscipiendum, quo cum fideliter functus esset per quinquennium, Pastoris primarii munus obtinuit Scanderburgi in Chersoneso Cimbrica, quod anno LXXIX commutavit cum loco Pastoris principis Ringstedii in dioecesi Seelandiae. Translatus a LXXXVI Havniam, simili loco constitutus est ad aedem Spiritus S. decoratus

et disputationis ab hoc oblatae nobis, quae et ipsa hanc caussam tetigit inter cetera capita Actorum Apostolicorum, in quibus illustrandis quam maxime versatur. Sed, memores consilii, quo omnem hanc disputationem suscepimus, sejunctis omnibus, quae sunt super isto Hierosolymitanae Ecclesiae decreto ab aliis saepe multumque dicta, ea tantum persequemur, quae, ab illis praetermissa, aliquid adhuc luminis desiderare videntur, nec omnes hujus decreti rerumque eo pertinentium ambitum complectemur, sed dabimus operam, ut quae bene scienterque viri docti disputaverint, paullo pleniora reddamus.

Ecclesia Christianorum Antiochena, unde profecta erat illa contentio, quae Hierosolymitanum decretum pepererat, pariter e Judaeis conflata erat ac Hellenistis h. e. proselytis (Act. XI, 20 seq.); qua in re dubitari non potest, istius dissensionis quasi se-

etiam munere Professoris Theologiae extraordinarii in academia Havniensi, itemque a. XCIV. a Collegio Facultatis nostrae mactatus dignitate Doctoris sacrarum scripturarum. Hodie illustri loco Episcopi Christianisandensis in Norwagia praefectus, magna cum laude istius Dioeceseos Ecclesias moderatur; quod ut diutissime felicissimeque faciat, ex animi mei sententia precor.

Digitized by Google

mina quaeri debere. Etsi enim hos facile inter se ferebant Judaei, et propter communem unius Dei cultum sui quodam modo partem faciebant[n]: tamen verebantur, ne hi animis inclinarent ad pristina; non quidem sic, ut clandestino cultu deos prosequerentur, (quid enim caussae fuisset, cur hoc facerent ii, qui nec in Judaea degerent, nec vellent aliquem externorum, quae Judaeorum propria essent, commodorum fructum capere, cum Antiochiae ceterisque extra Palaestinam locis cultores deorum in dominatu religionis imperiique essent, Judaei autem, tamquam advenae, a ceteris contemti tolerarentur); nec ita, ut omni se libidini dederent, (cujus explendae longe major erat licentia et opportunitas inter gentes ceteras, quam inter Judaeos). Sed nimirum suspicabantur Judaei, fore, ut Hellenistae cupidiores essent voluptatis cujuscunque generis, quae, etsi natura sua minime pertineret ad deorum commenticiorum cultum, tamen esset illecebra religiosae turpitudinis. Huic voluptati maxime tum indulgebant ii, qui alias ab isto secesserant cultu, cum carne diis immolata vescerentur;

n) Ἐκείνους τρόπῳ τινὶ μοῖραν αὐτῶν πεποίηντο, inquit *Iosephus* de B. Jud. VI, 3. 3 de Judaeis qui Antiochiae pristinos deorum cultores in societatem suam cooptassent.

si quidem ab amicis invitati vel in templis deorum atque delubris accumberent, vel ciborum sacrorum reliquias consumerent in aedibus privatis; quo cum utroque conviviorum, ac potius commissationum genere saepe erat nefandae veneris conjunctus usus. At istius modi conviviorum consuetudo flagitiosissima Judaeis videbatur, cum et illos ita idololatriae participes fieri, certe hoc scelus non detestari, putarent, et vererentur, ne illi illecti feminarum amore, omnique talium epularum lenociniis, ad ipsam impietatem revocarentur; praesertim, cum hujus ipsius periculi caussa, divinis legibus cautum esse scirent, ne quis veri Dei cultor alienigenarum feminarum consuetudinem sectaretur, et proselyti, ceteris Mosaicis omnibus soluti, hac una devincti essent, ut quem ad modum falsorum deorum cultum, sic omnia fugerent ea, quae utcunque ad eum possent allicere. Effecit autem hic ipse harum rerum consensionis metus, ut Judaei vel eos existimarent in communionem profanae religionis venire, qui carne uterentur ante oblata diis, post in macello ad vendendum proposita; qui est tertius quidam modus, quo se idololatriae contagione contaminare putabantur; neque is praetermissus a Paullo Apostolo, qui haec omnia ejusdem rei genera accurate tractat, 1 Cor. VIII—X.

Sed ut istis de caussis Judaei diffidebant eorum constantiae, qui a deorum se ad veri Dei cultum convertissent: sic accedebant aliae tum, cum utrique Christi se disciplinae dedidissent, Antiochiae in primis, ubi prima ex utrisque concreta Ecclesia exstiterat; quibus certe factum est, ut Judaei metuerent, ne et ipsi, carnis impurae fructu, in pietatis discrimen adducerentur. Numquam illi quidem coenabant apud illos proselytos, quos Judaica consuetudo *portae proselytos* appellare solet h. e. qui se minime, suscepto circumcisionis signo, toti legi Mosaicae observandae addixerant (Act. X: 28); quamquam non erat nefas, et vero etiam ipsa lege praeceptum, hos ad se coenandi caussa invitare (Deut. XVI, 28. c. XXVI, 12. 13.); credo, quod his in conviviis ciborum delectus a Judaeis penderet, in illis autem verendum esset, ne cibi apponerentur, quibus, ne vescerentur, religio intercederet. Sed, cum per baptismum proselyti jus quasi plenum civitatis Christianae accepissent, nihil impediebat, quo minus mutuis et communibus conviviis uterentur; erant enim fratres, et isti proselyti, propter commune baptismi sacramentum, eodem in numero, quo inter Judaeos hi, qui a *justitia* nomen habebant, propter ea quod, suscepta cum circumcisione omni religione Judaica, videbantur omni justitiae satis fecisse. Erant au-

Digitized by Google

tem communes Christianorum epulae hae, quae a benivolentiae caritate *agăparum* duxerant nomen. Quas quis dubitet Antiochiae quoque introductas? Quid enim? si, quod laudabilis consuetudo unum in coetum Christianorum invexisset, si igitur istud ceteri imitabantur (1 Cor. XI, 16), maxime tum, cum esset unus ab altero profectus, cum eoque ab illo communicata doctrina (1 Cor. XIV, 36); si Ecclesia, quae erat Corinthi, non dubitaverat agaparum consuetudinem ex Hierosolymitana ad se traducere (cap. XI, 20 seq.): id ipsum Antiochena non fecerit, quam inter et metropolin Christianam scimus longe etiam arctiorem, quam cum Graeciae Ecclesiis, conjunctionem fuisse? Erat enim haec primum a quibusdam exulibus condita Christianis, qui Hierosolymis expulsi tandem pervenissent Antiochiam (Act. XI, 20.); quae res cum Hierosolymis percrebuisset, statim, qui ibi essent, Christiani Barnabam ad Antiochenos miserunt, qui, Paullo assumto, primam ibi Ecclesiam, Christianae nomine ornatam, fundavit (vers 22—26); e quo tempore ultro citroque missi sunt, qui utriusque Ecclesiae salutem curarent (v. 27. Gal. II, 12. seq.); et, cum Antiochiae controversia de Hellenistis servili Mosaicae legis jugo subiiciendis excitata esset ab his, qui eo ex Judaea venissent, omnem caussam Antiocheni ad Hie-

rosolymitanam Ecclesiam detulerunt. In tanta utriusque Ecclesiae necessitudine non probabile videbitur, quod sumimus, cum ceterae Ecclesiae agapas ab Hierosolymitana ad se traduxerint, Antiochenam idem illud quam maxime fecisse?

Cum igitur Ecclesiae Antiochenae pars una Judaeis contineretur, qui, quamquam Christiani, se tamen Mosaïcae legis vinculis teneri arbitrarentur, altera iis, qui abjecto deorum cultu Christi essent doctrinam amplexi, utriusque autem generis homines sive privatim sive in conventibus sacris ad cibum capiendum coirent: fieri poterat, ut in apposita carne talis esset, quam lex divina vel omnino vel hactenus vetuisset, quod esset e victimis residua, quam tamen Christiani de gentibus non dubitabant apponere, cum et commenticios Deos nullos et carnem illis oblatam rem minime sacram putarent, 1 Cor. VIII, 1 sq. itemque convivas cuperent lectissima carne recreare. Hoc vel ipsis in agapis sive sacris Christianorum conviviis potuit accidere; quae cum non semper publicis sumtibus, ut in Hierosolymitana Ecclesia, fierent, sed etiam collatis convivarum symbolis appararentur (1 Cor. XI, 21.): facile intelligitur, quo modo, qui se obligatos interdictis Mosaicis nequaquam existimabant, eos in communem usum cibos contulerint, quibus vesci nefas Judaeis videbatur.

Digitized by Google

Ecce veniunt e Judaea Antiochiam, qui negant ejus Ecclesiae proselytos salvos esse posse, nisi circumcisionem a Mose praeceptam subeant (Act. XV, 1.). Quod etsi decretum mitioribus Judaeis haud dubie durius visum esset, qui scirent, talem legem non magis novis Christianis ferri debere, quam esset proselytis inter Judaeos omnibus lata: tamen nullo modo statuendum est, istos eam proselytis ad Christi disciplinam accedentibus licentiam concessisse, quae vel absconditam haberet profanae impietatis h. e. admissae idololatriae, suspicionem, vel simili cupiditate ceteros inficeret, omninoque religiosum quemque offenderet. Hos moderatos minimeque difficiles Judaeos quis dubitet Pauli Apostoli partes (Act. XV, 2.) secutos esse, qui asperioribus universi Judaismi patronis restitit? Enimvero Paullus is, qui summa diligentia asserebat novis Christianis omnem a lege Mosaica libertatem, ab iisque summo studio omnem Mosaicorum institutorum necessitatem removebat, is igitur Paullus nusquam vim infert Judaeorum religioni; diligenter cavet ne vel iis rebus, quae licerent, Judaeis autem invisae essent, offenderentur; inprimisque hanc legem transfert ad cautum usum ciborum, quos Mosaica decreta vetuissent, actionesque universas, quibus probari idolorum cultus videretur (Rom. XIV. 1 Cor. VIII. seq.). An igitur

Digitized by Google

dubium ſit, leniores Judaeos idem illud a Chriſtianis commilitonibus poſtulaſſe, idque, quod deſiderabant, ad Hieroſolymitanos detuliſſe tum, cum dirimendam illis hanc controverſiam tradidiſſent? Quod ſi fecerint, manifeſtam tenemus cauſſam, cur Jacobus Apoſtolus ea, quae decreto Hieroſolymitano prohibentur, nominatim ad fugiendum propoſuerit, cum alias vix ratio quaedam reperiatur, qua ad haec nominatim definienda potuiſſet deduci.

Iam de quaeſtione ſibi ad deliberandum propoſita ita cenſet Hieroſolymitana Eccleſia, ut circumciſionis neceſſitatem Chriſtianis de gentibus injungendam repudiet, nec tamen vel ipſum commenticiorum deorum cultum, vel vitia inter profanos homines quam maxime regnantia interdicat; non alia de cauſſa, ut opinor, quam quod haec utraque a proſelytis ſua ſponte tamquam flagitioſa agnoſcerentur, nec quiſquam eſſet, qui talia cum Chriſtiana diſciplina conſiſtere poſſe putaret, nec propter ea his de ſceleribus quaeſtio umquam exſtitiſſet. Sed in praeſenti cauſſa omnem fugiendorum modum terminat decretum *his rebus, quas*, ut in arbitrariis proſelyti, plurimi certe eorum, habere ſolebant, ſic *Judaei non obſcuram judicabant continere ſignificationem idololatriae*, aut animi ab ea non admodum alieni; ac ne has

Digitized by Google

has quidem omnes complectitur, sed eas tantummodo, *quae se per convivia proderent.* In hoc videtur hujus caussae caput esse; hoc aditum ad veram decreti vim et ingenium intelligendum patefacere; in hoc igitur elaborandum, ne, quod ita esse dixi, sine idoneis rationibus sumtum esse videatur.

Principio dabunt mihi lectores in hac disputatione hanc veniam, ut patiantur a ceteris in decreto commemorationem πορνείας sejungi, quas et alius, ac cetera, videri potest generis esse, et impeditam reddit eorum intelligentiam. Hac igitur re detracta, de qua posthaec erit dicendi locus, quid in illis decreti verbis relinquitur praeter *usum quendam ciborum*, a quo cohibere se debebant ii, qui, relicto idolorum cultu, Christi se religione addixerant? Nam ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων (Act. XV, 20.) vel εἰδωλόθυτα (v. 29) et τὸ πνικτὸν et τὸ αἷμα ejusdem omnino generis sunt h. e. ea, quibus *vesci* non liceret. A quibus non modo Judaei maxime abhorrebant, sed et eadem sciebant alienigenis s. proselytis interdicta esse Levit. c. XVII. Quocirca Jacobus rogationem confirmat his verbis (v. 21): *Moses enim ab ultimis temporibus singulis in urbibus habet a quibus praedicetur, in synagogis quoque sabbato lectus;* quae non possunt alio quam ad illas proselytis latas leges

referri, quae in illo, quem citavimus, Mosaici codicis loco conjunctae reperiuntur.

Quodsi *porro* persequimur originem progressionemque hujus controversiae, quae peperit decretum, de quo quaerimus; nec aliud quidquam praeter illud, quod dicimus, aperietur. Primum quidem litis super ea re initium vel occasionem ductam esse constat a Petri Apostoli ad Cornelium centurionem, eundemque proselytum, profectione. Atqui ille nequaquam recusabat hactenus, quin cum Cornelii familiaribus proficisceretur, quod nefas existimaret convenire ac docere hominem de gentibus ortum, cum praeclare teneret, e Christi mandato omnibus ubicumque terrarum gentibus tradi Christi doctrinam debere; sed nimirum, ut ad hujus generis hominis *convictum* accederet, impetrare a se non poterat. Nam quod profitetur (Act. X, 28.), nefas esse Judaeo κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, id non habet hanc vim, ut impium omnino fuerit visum, cum alienigena versari; quo modo enim Judaei fugere omnem cum profanis hominibus consuetudinem potuissent, aut Apostoli alias etiam inter gentes Evangelium propagare? at familiariter iis uti (κολλᾶσθαι), ad eos divertere (προσέρχεσθαι, ἐπιμεῖναι v 48.), in conviviis eorum accumbere, hoc homine Judaeo indignum habeba-

Digitized by Google

tur. Hac idem consuetudine postea conqueruntur Judaei inter Christianos (Act. XI, 3.): πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰσῆλθες καὶ ΣΥΝΕΦΑΓΕΣ ΑΥΤΟΙΣ. Nec istud visum, quo Petro impura animalia offerebantur, quibus vesceretur, homines profanos significabat, quorum refugere consuetudinem nequaquam deberet, sed cibos impuros, qui essent Judaeis Mosaica lege prohibiti, quibus tamen ne dubitaret vesci, admonebatur a Deo his verbis (Act. X, 15.): *quae Deus pura declaravit, tu ne impura habeto!* nec potest intelligi, cur escae profanae ei per visum oblatae fuerint, nisi, ne harum metu, a profectione ad hominem gentilem deterreretur. Post, cum ipse eodem, quo suam gentiliumque caussam defenderat, modo (Act. XI, 4. seq.) pro ea dixisset in coetu eo, qui fecit, quod hic est in quaestione, decretum (Act. XV, 7. seq.), essetque, confecta illa re, profectus Antiochiam: principio non dubitavit cum gentibus convivari; at, cum a Jacobo h. e. Hierosolymis missi, iidemque Judaei, advenissent, horum metu subduxit sese atque segregavit (Gal. II, 12.); non, quo expelleret Christianos de gentibus e Christiana societate, aut eos ad circumcisionem compelleret, sed ita, ut eorum convictu minime uteretur; id quod superiora docent illa συνήσθιεν μετὰ τῶν ἐθνῶν, a quibus haec: ὑπέ-

Digitized by Google

στελλε καὶ ἀφορίζειν ἑαυτὸν perſpicue disjunguntur. Itaque, cum in omni hac narratione de ortu ac progreſſu iſtius controverſiae nihil quidquam, idque proprium Judaeorum, commemoretur, ad quod accommodare ſe iſti proſelyti debuiſſent; nec magis quidquam harum rerum, quae decretis Moſaicis contrariae eſſent, his ad fugiendum proponatur, praeter uſum talium *ciborum*, quorum cauſſa Judaei reformidarent proſelytorum familiaritatem atque convictum; (circumciſionis quidem neceſſitatem Eccleſiae Hieroſolymitanae auctoritas ſtatim poſt primam Petri orationem (Act. XI.) repudiaverat): ſequitur, nec in hoc decreto, quod terminat gentilium cauſſam, quidquam praeter eſcarum profanarum interdictionem eſſe quaerendum.

Quem *autem* meliorem in finiendo ſenſu et conſilio hujus decreti auctorem ſequamur, quam Paullum Apoſtolum? qui et occaſionem huic controverſiae dedit, et quaeſtionem ipſe ad Apoſtolos preſbyteroſque Eccleſiae Hieroſolymitanae detulit; cujus ipſius cauſſam hi cum hac gentilium cauſſa conjunxerunt in epiſtola, qua decretum ſuper ea re ad Antiochenam ceteraſque Eccleſias perſcripſerunt (Act. XV, 25. 26.); qui, quae decreta eſſent, ipſe in primis Antiochiae itemque in Syria Ciliciaque, quibus maxime

scripta erant (v. 23.), explanando inculcavit (v. 41.); magnam denique omnium epistolarum partem in hac libertatis Christianae caussa defendenda consumsit. In his itaque videamus, quo modo versatus fuerit, cum vel declarando hanc causam tueretur, vel admonendo cavere vellet, ne qui ea ad licentiam peccandi offendendorumque Judaeorum abuterentur. Nempe non quaeritur de rebus iis, quae vel naturae legibus repugnarent, cujus generis nihil hac quidem in caussa venit in disceptationem, sed quae institutis Judaicis essent contrariae; nec, quae concessae essent aut solutae per leges Mosaicas, sed quae jussae aut vetitae; nec, quae hujus generis observarentur a proselytis, sed quae ab iis contra legem fierent. Enimvero, quidquid sit harum rerum, quaerentibus in Paullinis epistolis, inprimisque in locis Rom. XIV. 1 Cor. VIII. seq. Coloss. II. et 1 Tim. IV, nihil prorsus occurrit, quod asperiores Judaei cupivissent novis Christianis obtrudere (circumsionem semper excipio), nisi: sabbati temporumque sacrorum celebrationem, conjugia omnino fugienda, abstinentiam denique quoad escas lege Mosaica interdictas. Ac primum illud ne neglectum quidem a proselytis videmus, ut qui et tempora illa frequentabant et synagogas, in quibus sabbato lex praelegeretur (Jo. XII, 20. Act. X, 30. XIII, 42. seq.); nec Apostolos

legimus umquam iis, qui Christiani esse vellent, sabbati cultum praescripsisse; quin etiam Paullus (Col. II, 16.) jubet, contemnere eos, qui festorum et novilunii et sabbati necessitate Christianos onerarent. Quod autem essent inter Judaeos, qui conjugia fugienda docerent, (id erat alterum a Paullo castigatum decretum 1. Tim. IV, 3.), non erat hoc in lege Mosaica praeceptum, sed, ut ait Paullus (Coll. II, 23. et 18.) ἐθελοθρησκεία s. θρησκεία τῶν ἀγγέλων, fastidiosa sanctitas quaedam ac paene angelica. De tertio, hoc est, de vitandis profanis quibusdam cibis, tantum abest, ut Paullus ea re obligatos Christianos agnoscat, ut contra nullam hujus generis rem aliam magis disputet. Hoc urget unum atque est in eo totus 1 Cor. VIII. seq.: non esse illi licentiae vescendi ita obsequendum, ut Christianos alios, quibus id nefas fuerit visum, exemplo suo ad imitandum incitent. Quam cautionem maxime refert ad usum carnis immolatae diis, praesertim tum, cum fieret in delubris; e quo suspicio probati deorum cultus nasceretur. Hoc ergo unum ex omnibus Mosaicis decretis Paullo visum est, quod Christiani de gentibus deberent fugere, idque ipsum, quo nihil plus statuebant Apostoli hujus generis imponendum esse.

Sed quid fiet ceteris, quae decreto Hierosolymitano, praeter εἰδωλόθυτα, conti-

Digitized by Google

nentur? Nempe, quod primum Christiani jubentur abstinere, ab usu *suffocati* et *sanguinis*, id quoque ad εἰδωλόθυτα referendum est. Nam utrumque in deorum cultu plures apud gentes bibendo vescendoque aut diis ipsis offerendo adhibitum propterea que vel peregrinis inter Judaeos interdictum fuisse (Levit. XVII, 10. seqq.), ita demonstrarunt viri docti o), ut mihi sumi posse videatur. Πορνείαν autem non dubitans dixerim omnem veneris turpitudinem complecti. Quod quidem *primum* vel ipsa vicinitas ostendit, hoc est conjunctio πορνείας cum ceteris, quae hoc decreto continentur erantque ad unum omnia tum frequentata, cum voluptati in epulis sacris gentiles indulgerent; quem ad modum Petrus quoque (epist. I. c. IV, 3.) in vitiis gentilium, quibus olim Christiani fuissent addicti, ἀσελγείας, ἐπιθυμίας, οἰνοφλυγίας, κώμους, πότους, conjunctim cum ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις enumerat. Scorta

o) De sanguine hausto, tamquam nefariae religionis ligno et caerimonia, vide *Io. Spenceri* dissertationem adhaerentem libro II. doctissimi operis de legibus Hebraeorum ritualibus cap. III. Sect. I. et IV. Edit. Tubing. p. 603. seq. 614 seq. *Io. Dav. Michaelis* Mosaisches Recht Part. IV, §. 206. et quos ille in hac caussa citavit. De suffocati usu, tamquam re sacra, eundem *Spencerum* l. c. p. 604 et 615.

Digitized by Google

quidem utriusque generis vel in templis pudicitiam prostituisse, nec a commissationibus, sacris quoque ipsis, hoc abfuisse lasciviae genus, satis constat p). Quid *porro* caussae est, cur, cum πορνεία omni de genere impudicitiae dicatur, atque hoc quidem sensu vel in sacris scripturis frequentetur q), propriam verbi vim vel deseramus, vel eas in augustias compellamus, quarum significationem auctores decreti Hierosolymitani nullam dederunt? Paullus *denique* Apostolus, (quo quem interpretem meliorem quaerimus?) qui in priori ad Corinthios epistola (cap. VIII—X.) omne hoc decretum ampliori quodam commentario illustrasse videtur, non modo jubet eos cavere, ne omnino anhelent quae prava sint (ne sint ἐπιθυμηταὶ κακῶν) cap. X, 6., neo eo se dedant cultui deorum, quod, Israelitarum exemplo, edendo bibendoque peccent v. 7., sed nec eos magis impudicitia imitentur. Quo etiamsi cum *Spencero* aliisque non retulerim v. 7. illud παίζειν obsceno sensu acceptum, Paullus tamen cum idolorum cultu epulis et compo-

p) *Spencerus* op. cit. lib. II. c. 35. p. 561. et p. 611 seq. *Christ. Gottl. Schwartzii* diss. de comissationibus veterum; Altdorf. 1744. §. X. XI.

q) Cf. in primis *Io. Seldeni* Uxor. Ebraic. lib. III. c. 23. p. m. 356. seq.

Digitized by Google

tatione celebrato fugiendam dicit πορνείαν, cujus caussa XXIII. millia Israelitarum perierint; in quo perspicuum est e loco Numer. XXV, 1 seq., proprie intelligendam esse πορνείαν eamque tum admissam, cum Israelitae, ad deorum Moabiticorum sacrificia invitati, sacris horum epulis interessent, puellarumque consuetudine uterentur.

Quinam secus in loco nostro vocabulum πορνείας h. e. qui tropice aut qui angustiori sensu, et vario quo modo acceperint? qui porro contra dixerint et quibus sint argumentis usi in contrariam partem? non attinet enumerare; sunt enim haec satis nota e *Wolfii* et aliorum libris petenda. Nec quidquam placet addere de iis, quae Viri docti nuper admodum hanc in rem disputavere, satis, ut mihi quidem videtur, excussis in *Hansenii*, V. V. Disputatione r), cujus quasi quoddam auctarium volumus hanc prolusionem esse. Sed video praetermissa esse, eaque non contemnenda, studia clarorum duumvirorum, qui nostra memoria novam interpretationem instituerunt. Unus est *Barringtonus*, illustris Britannus,

r) Inscripta: *Obss. miscellaneae in illa Actorum Apostolicorum loca, quae de primorum Christianorum conventibus et congressibus sacris agunt*, edit. Havniae 1793. 8. §. XX. XXI.

Digitized by Google

qui [s]) singulari dissertatione illustravit epistolam Act. XV., caussamque, cur haec quatuor inter vetita relata fuerint, reperisse sibi visus est, praeeunte quodam modo *Spencero*, Levit. XVII. et XVIII; in quo loco Mosen putat sanxisse, ut vel peregrini inter Israelitas sibi ab his quatuor rebus caverent, h. e. proselyti portae, ut bene *Barringtonus* demonstravit. Alter, *Dan. Henr. Heringius*, V. V. [t]) πορνείαν non tam omnem impudicitiam, ut ille, proselytis interdictam isto decreto arbitratur, quam cautum potius, ne quam feminam in matrimonium ducerent, quae idolorum cultui mancipata esset. Sed nec hujus, nec illius sententiam probare possum. — Primum hoc utriusque commune vitium est, quod ita adhibito vocabulo Apostoli non essent ad omnium intelligentiam accommodate locuti, quae ambiguitas in primis vitiosissima est; quo modo enim potuissent proselyti vim istius verbi inusitatam sine errandi periculo reperire, cujus ne minimam quidem significationem Apostoli dedissent? Ad evellendum

s) Volumine II. *Miscellaneorum* SS. Essay. IV. p. 255. seq.

t) In dissertatione de voce πορνεία in decreto Apostolico Act. XV, quae exstat in *Bibliothecae Bremensis novae* Class. IV. Fasc. II. p. 289. seq.

Digitized by Google

hunc scrupulum quid fecerit *Heringius* u) equidem non ignoro, et haberem quae commode contra dicerem, si quidem hic longus esse vellem. Omnino semper ad quaerendum restant haec duo: *primum*, si vel proselyti omnem admodum variam vim verbi, de quo quaeritur, tenuissent: quo modo potuissent certo scire, Apostolos hanc ipsam rariorem, nec ullam aliam magis frequentatam vim exprimere voluisse? *Deinde*, si quis diceret: adfuisse Paullum, Barnabam ceterosque, decreti illius interpretes, qui obscuritatem ab isto verbo potuissent depellere, cur tamen Apostoli in gravi controversia finienda, ferendaque lege universa, neglexissent perspicuitatem ita, ut lex non, nisi adhibito interprete, potuisset intelligi? — In *Barringtonii* sententia hoc quidem recte dictum agnosco, proselytis quoque, non tantum Israelitis, Levitici cap. XVII, 10. seq. interdictum fuisse ne sanguine aut suffocato vescerentur, eadem igitur de re etiam proselytos in Christianam Ecclesiam cooptatos admoneri debuisse, ne Judaei offenderentur, qui hanc proselytis omnibus praescriptam a Mose legem scirent. Veruntamen licebit dubitare, utrum et cetera, per decretum Apostolorum interdicta, ex isto loco codicis Mosaici ducta sint. Nam, etsi leges Levit. XVII.

u) loc. cit. p. 319. seq.

et XVIII. ad proselytos et Israelitas pariter pertinere video, *Michaelidai* etiam*) facile assentior existimanti, cavere Mosen lege ea, quae est Levit. XVII, 1—9, voluisse: ne quis se victima diis commenticiis oblata contaminaret: decretum tamen Apostolorum vetat *cibum* diis consecratum capere. Hujus criminis reus poterat esse aliquis, etiam si ipse non immolasset diis, omninoque animalia nemini, nisi vero deo, obtulisset; itaque lege Levit. XVII. nullo modo cautum erat, ne quis εἰδωλοθύτοις vesceretur, neque hoc ipsum ibi proselytis interdictum poterat putari. De πορνείᾳ repeto quod modo dixeram. Si πορνείας nomine Apostoli comprehendissent nominatim ac proprie flagitia ea, quae Levit. XVIII. enarrantur, cuinam haec singularia scelera potuissent in mentem venire, cum πορνείαν sibi interdictam andivisset? Certe Jacobus Apostolus si haec interdicenda ex isto Mosaico loco duxisset: quo modo non potius, ut perspicue, quid vellet, exprimeret, rationemque vetiti redderet, ipsum legis Mosaicae locum citasset, quod alia in re fecit Act. XV, 15—17.? *Heringii* interpretationem quo minus admittam, praeter ea quae dicta sunt, impedit hoc, quod nullo in loco N. T. qui commentarium quasi quendam continet in Hie-

*) In notis ad Lev. XVII, 3.

Digitized by Google

rosolymitanum decretum, (cujus generis fere sunt 1 Cor. VIII—X. 2 Petr. II. Judae v. 11. seq. Apocal. II, 14 et 20.) πορνεία est eo sensu, ut matrimonia cum profanis hominibus complectatur, sed sensu maxime obvio de impudicitia universa aut proprie scortatione cum prostibulis. Habeo etiam quod dubitem, utrum hujus generis matrimonia subire omnino Christianis nefas visum fuerit; Paulus quidem talia videtur dissuasisse 1 Cor. VII, 39. extr. *sui ex animi sententia* (κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην) ut ait v. 40., non igitur e lege quadam, quae ea de re inter Christianos exstitisset.

Satis, ut quidem arbitror, docui nihil in decreto Hierosolymitano prohibitum esse, nisi usum eorum ciborum, quem lex Mosaica tamquam signum propendentis in idololatriam animi nefandum judicasset, istiusque impudicitiae, quae a Judaeis eodem in numero haberetur; quibus igitur rebus religiosi inter Christianos Judaei impedirentur, quo minus cum his qui talibus uterentur, religionis communitatem subire aut conservare possent. Neque igitur de rebus quibusdam quaerebatur, quae sua natura, sed quae de Judaeorum sententia turpes essent. Jacobus quidem vers 21., non alio ad persuadendum argumento utitur, nisi hoc, quod Moses singulis in urbibus habeat, qui ejus

de auctoritate concionentur, iſque ſabbato quoque in ſynagogis recitetur; quo ſignificat, haec eorum cauſſa fugienda eſſe, qui legum Moſaicarum, quoad vel a profanis, attamen veri Dei cultum cum Judaeis communiter tenentibus, obſervandae eſſent, contemtu offenderentur. Quo modo etiam ii, qui hanc legem tulerant, ſcribere potuiſſent vers. 29.: ſe novis de profanorum ſtirpe Chriſtianis *nullum aliud onus impoſituros eſſe, praeter haec neceſſaria*; cum multa alia ſua ſponte neceſſaria eſſent, et longe plura prohibenda, ſi rationem naturae, non ſingularium de iſtis rebus ſententiarum rationem habuiſſent? Nec ullo modo intelligi poteſt, cujusnam impietatis reus ſit is, qui carne Diis olim oblata, aut ſanguine aut animalibus ſuffocatis veſcatur, ſi horum ciborum naturam unice ſpectes? quae eſt ipſius Paulli ſententia, qui diis immolata ſive de victimis reliqua nulla concedit eſſe minimeque ſacra, ſed hactenus negat ſine impietate edendo conſumi poſſe, ſi quis talibus tamen tamquam cibis ſacris veſcatur (τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου, 1 Cor. VIII, 7. X, 20). Eadem ipſa de cauſſa non voluerunt ipſius decreti auctores quidquam proponere novis Chriſtianis, quod hi ſui cauſſa fugere deberent h. e. ſi ſoli ſecum eſſent nemineque inſpectante hujus modi cibis uterentur, ſed quod aliis praeſentibus intermittendum eſſet, ne

hi ea re, tamquam aliquo scelere, offenderentur; nec alio sensu Paullus haec nefaria censet esse, dum dicit (1 Cor. X, 28. VIII, 10.): si quis te admonet, haec diis olim oblata fuisse, si te viderit in delubro discumbentem, et quae sunt generis ejusdem. Sumitur denique in omni hoc decreto: eum aliqua impietate obligari, qui hujus modi cibi, non tamquam promiscuo vescatur, sed eo animo, ut rem sacram faciat; eum certe tum religiosos aliorum animos offendere, cum suspicari possint fore, ut tali consilio aut animo ad deorum commenticiorum cultum proclivi rem omnem suscipiat. Quare nec ipse Paullus in illo, quem diximus, loco reprehendit eos, qui de vanitate deorum persuasi talibus vescerentur, sed veretur, ut omnes ita eadem de re judicent (οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, 1 Cor. VIII, 7). Iam, si vera sunt, quae de illius decreti natura, occasione et consilio disputavimus, facile est ad intelligendum, ejus hodie apud nostros Christianos, nisi alias idololatriae fuerint addicti, auctoritatem nullam esse posse. Falsis quidem diis nihil immolatur; veneris in sacris usus nullus est, quem quis licere Christianorum putet; si quis vel sanguine aut animalium suffocatorum carne vescatur, voluptatis res est, non religionis; nec quisquam ita stultus est nostrum, ut, qui talibus edendo fruatur, eum suspicetur hac re falsos co-

lere Deos velle, propthereaque communionem cum eo Christianam repudiet. Sublata igitur decreti caussa, quomodo nobis scriptum existimetur?

At haec sunt in promtu; neque nunc de nostris quaerimus, sed de hominibus iis, quibus legem tum Apostoli cum ceteris tulerint? Atque hic *Barringtonum* video existimare y) multisque rationibus contendere, quibus efficiat: Apostolos non omnibus omnino Christianis haec ad fugiendum praescripsisse, qui tum temporis a profano deorum cultu ad Christianam disciplinam transiissent ac potius transituri essent, sed Judaeorum proselytis tantum, qui quidem se posthaec adjunxissent Christianis. Cujus non singula argumenta discutiam, nec id est necesse; satis est rationes proponi in contrariam partem, quibus et erroris aperiantur fontes, et argumenta vanitatis convincantur. Neque autem hic *primum* quaerendum videtur: sitne occasio et caussa redditi ab Ecclesia Hierosolymitana responsi in istis proselytis quaerenda? Quod nemo dubitet; nec tamen sequitur Apostolos horum unorum mores informare voluisse, ceterorum, qui sine Judaicae religionis interventu Christi se disciplinae dedissent, rationem nullam habuisse. Cum

y) loc. cit. pag. 269. seq.

Digitized by Google

Cum *porro* haec pauca in vetitis habenda censerent, non hactenus dixerant sententiam, ut religioni proselytorum Judaicorum parcerent, quos scirent, e legum Mosaicarum in synagogis recitatione haec fugienda didicisse (sic quidem *Barringtonus* putabat), sed ut averterent ea, quibus Judaei in ceteris Christianis offenderentur. Jacobus certe (vers 21.) non proselytos appellat, quos miraturos existimaret, si haec in legibus sacris vetita ne sibi quidem prohiberentur, sed Judaeos, Mosis auctoritatem proclamantes, quorum caussa se ceteri ab istis cohibere deberent. Hoc unum igitur hoc loco in disputationem cadit: utrum, qui scripserint Hierosolymitanum decretum, illud ad omnes omnino referri voluerint, qui relicto deorum cultu se ad Christi disciplinam applicassent, sive ante jam, illa impietate abjecta, unum cum Judaeis Deum coluissent, sive nunc primum eum unum verum Deum et Jesum ejus legatum agnovissent, si quidem vellent cum Judaicis Christianis in unam societatem coire? an haec fugienda non nisi ab iis postulaverint, qui proselyti inter Judaeos ex iisque Christiani facti essent? Hoc quidem *Barringtono*, mihi illud videtur.

Ac *primum* vix dubitari potest, quin jam tum, cum quaestio de novis e profano grege Christianis Hierosolyma deferretur, non

Digitized by Google

modo proſelyti, ſed alii quoque de gentibus ſe religioni Chriſtianae addixerint. Nam etſi *Barringtonum* video ſtatuere, aliquot demum annis poſt iſtud tempus hanc profanorum quaſi traductionem incidiſſe Act. XXI. nullam tamen affert idoneam cauſſam, qua efficiatur ut ita ſentiendum eſſe putemus. Quamquam enim non ignoro, τὰ ἔθνη etiam proſelytos eſſe poſſe, aeque certe hoc nomen alios omnes complecitur, qui ſe diis commenticiis mancipaſſent. Paullus quidem jam ante hoc tempus non modo proſelytis ſed ipſis etiam profanis tradiderat doctrinam Chriſtianam, ut Sergio Paullo, Proconſuli, Act. XIII, ut Lyſtrenſibus Act. XIV, qui vel victimam ei offerre voluerant, quos primum admonuerat vers. 15, ut ab idolorum vanitate ſe ad Dei immortalis cultum converterent, eademque erat oratione perſecutus ſimillima ejus, quam poſthaec habuit apud Athenienſes cap. XVII., quos proprie profanos fuiſſe perſpicuum eſt. Iam cum Paullus et Barnabas, ſuperioris quaeſtionis cauſſa ad metropolim miſſi, cap. XV, 4. denuncient, quomodo fuerint adjuti a Deo inter gentes, iſtiſque *fratribus inter gentes* reſcribant Hieroſolymitani v. 32. decretum, quod in quaeſtione eſt: quidni his omnibus, non modo proſelytis, legem illam latam arbitremur? Nec, cum Act. XXI. de omnibus quaeritur iis, qui πεπιστευκότα ἔθνη appel-

Digitized by Google

lantur vers 25, novas illis proponunt leges, sed se planissime profitentur jamdudum his nihil aliud injunxisse, nisi hoc, ut sibi ab εἰδωλοθύτοις caverent ceterisque, quorum saepe mentionem fecimus. Nec *praeter ea* est in oratione Jacobi Apostoli Act. XV, 13 seq., quem proprie hujus decreti auctorem esse e Lucae commentariis discimus, quod rem secus accidisse arbitremur; quin potius omnia cum istis, quae volumus, consentiunt. Profert ille quidem in hac caussa illustre oraculum, quod commemorat omnes gentes ἐφ᾽ ἃς ἐπικέκληται τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, quae sint e Domino h. e. veri Dei cultores nominandae; non vult igitur turbari eos qui de gentibus se ad Deum converterint (τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφοντας ἐπὶ τὸν Θεόν). Quibus Jacobi verbis, ut hoc obiter dicam, prorsus evertitur commentum *Barringtoni* existimantis, valde diversam esse vim formularum: ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν ΘΕΟΝ et ἐπὶ τὸν ΚΥΡΙΟΝ, illamque de illis adhiberi, qui relicto deorum cultu verum coepissent colere Deum, aut, sine Judaicae disciplinae interventu, statim cum profana religione Christianam commutassent; hanc autem de istis, qui jamdudum, abjecta illa impietate, primum Judaicae religioni, tum, tamquam proselyti, Christianae se dedidissent. Quod discrimen verborum vanissimum

Digitized by Google

eſt et noſtrum per locum facile convincitur, in quo Domini et Dei nomina planiſſime permutantur. Quid igitur cauſſae ſit, cur in ἐπιστρέφουσι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπὶ τὸν Θεόν ſolos proſelytos quaeramus, ac non potius omnes qui ſe diis commenticiis abdicaſſent, cum prophetae oraculum omnium gentium mentionem faciat, quae nomen a Domino acceperint ſuum, quaeque ab iis diſjunguntur, quos vates ad collapſam Davidis domum h. e. ad Judaeos retuliſſet? plane ut in altero Jacobi loco Act. XXI, 20 et 25 πεπιστευκότες Ἰουδαῖοι et πεπιστευκότα ἔθνη diſcernuntur, in quibus nemo eſt quin omnes de gentibus Chriſtianos agnoſcat. Paullus *denique* primam ad Corinthios epiſtolam haud dubie non modo iſtis Chriſtianis ſcripſit qui ante Judaicae Eccleſiae, ſive ut Judaei ſive ut proſelyti, addicti fuerant, ſed his etiam, qui proxime ab idolorum cultu tranſierant ad Chriſtianorum Eccleſiam. Etenim nullo modo credibile eſt, Paullum in ea urbe, quae magnam gentilium, et ſane exiguam Judaeorum copiam complectebatur, in qua ſesqui annum Evangelio docendo conſumſerat (Act. XVIII, 11), nullos de falſorum deorum cultoribus Chriſtianae diſciplinae conciliaſſe. Nec magis exiſtimaverim, hos, qui iſto in coetu ſcortandi licentiam vel rationibus exquiſitis defenderent (1 Cor. VI, 13 ſeq.), aut epularum profanarum, vel in de-

Digitized by Google

lubris celebrandarum, cupidiſſimi eſſent (cap. VIII, 13. X, 14. ſeq.), de numero proſelytorum fuiſſe, qui, etiamſi Moſis inſtituta non omnino ſequerentur, certe non fana frequentabant aut epulis gentilium ſacris ſolebant intereſſe, cum ſcirent hoc manifeſtae idololatriae profeſſionem haberi, nec in proſelytis quidem numerati fuiſſent, ſi ne ab hoc quidem ſcelere caviſſent ſibi. Enimvero Paullus in eadem epiſtola eadem, ut ſupra diximus, fugienda jubet, quae Hieroſolymitano prohibita eſſent decreto, eademque de cauſſa h. e. ne in ſuſpicionem probatae idololatriae venirent, offenderentque Judaeos. Itaque, cum huic decreto accommodatiſſime diſputet Paullus, his quoque, non ſolis proſelytis, illud ſcriptum eſſe, confirmat. Neque cur ita ſtatuamus, impedit hoc, quod iſtius reſponſi nullam mentionem injecerit. Neque enim magis in epiſtola ad Galatas, quae pariter eſt ac illa ad Corinthios poſt iſtud decretum ſcripta, provocat ad latam hanc ab Apoſtolis ſententiam, neque in Petri caſtigatione cap. II. ei hactenus exprobrat inconſtantiam, quod decreto a ſe ipſo probato ad deliberandumque propoſito nequaquam ſteterit. Ac potuit in epiſtola Corinthiis dicata hoc praetermittere ſilentio, ne, tamquam Apoſtolus, qui ſuam vellet auctoritatem defendere, nec minor ceteris haberi, putaretur ex aliorum auctoritate

Digitized by Google

pendere, praesertim apud eos, quos sciret perspicuis argumentis ex ipsa rei natura ductis magis quam cujusquam auctoritate moveri; vel Petri ut famae parceret, nec offenderet istos, qui in Corinthiorum Ecclesia eum maxime sequerentur (cap. I, 12). Quidquid tamen caussarum fuerit, cur noluerit isto decreto uti, satis est, quod rem ipsam et decreti rationem omnem expresserit.

Neque vero nullius momenti videbatur haec disputatio esse, quae istius decreti vim omnibus Christianis assereret, qui tum e pristinis Deorum cultoribus conflati fuissent. Plurimum quidem luminis afferet cognoscendae Nicolaitarum disciplinae, quam accuratius (sic quidem animus erat) hoc loco persequerer, nisi ita longam disputationem exstituram praeviderem, ut hujus prolusionis augustiis commode circumscribi nōn posset.

Digitized by Google

IV.

DISPUTATIO

QUA ILLUSTRATUR

ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ ΑΓΙΩΣΥΝΗΣ

Rom I, 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

In virtutibus orationis, qua usi sunt ii, qui primi doctrinam Christianam in libris sacris tradidere, recte haec quoque laudatur, quae cernitur in delectu verborum, quibus novas istiusque doctrinae proprias notiones expresserunt. Qua in re etsi non permagnum verborum N. T. divinitus inspiratorum argumentum quaeram, nec statim negem ea ab ipsis Apostolis inventa esse vel inveniri adeo potuisse, sed contra divinae cuidam auctoritati accepta referri debere; erant enim permulta hujus generis vel inter Judaeos, inprimis in versione V. T. Alexandrina, frequentata, vel e Christi ipsius disciplina loquendique consuetudine ad Apostolos traducta: tamen, ut est dicendi genus Scriptorum N. T. vere proprium ac suum, ita in illa dictione magna pars sapientiae Apostolicae inesse videtur. Joannem quidem Apostolum quis neget ita singulari loquendi modo usum, ut vel hoc proprio quasi colore scripta ejus ab

Digitized by Google

aliis omnibus discerni possint, facileque appareat, Christi sententias, si cum ceterorum Evangelistarum narrationibus comparentur, Joannis ingenio tinctas esse, ac potius sermones Christi coloris aliquid e Joannea dictione adscivisse? Paullus autem, quam is non modo singularis est in dogmatibus tradendis, in nectendis argumentis, in illustrandis rebus, in confutandis erroribus, maxime in epistolis ad Romanos, Galatas et Ebraeos, sed etiam in frequentandis verbis eorumque novo sensu, quae nusquam aut vix quidem apud alios eo modo usurpata reperies? qualia sunt: νόμος, σὰρξ, πνεῦμα, ἁμαρτία, παλαιὸς ἄνθρωπος, καταλλαγὴ, στοιχεῖα τοῦ κόσμου, οἰκοδομὴ, et hujus generis alia. Tenent autem scriptores sacri hunc eorum adhibendorum modum, ut, quoad possint, sequantur eam loquendi rationem, quam induxerat Judaeorum consuetudo auctoritateque quasi sacra firmaverat, in verbis quidem graecis Alexandrinae versionis auctoritatem; quo et perspicuitatis maxime rationem haberent, et parcerent religiosis Judaeorum auribus, quas scirent in religione tradenda, vel linguae profanae usu, vel, si tamen adhibenda esset, verbo quoque, non usu frequentato et quasi mitigato, offendi. Quodsi autem nova essent religionis Christianae dogmata proponenda, aut ea nove illustranda sic, ut auditorum lectorumque ne-

Digitized by Google

ceffitati maxime accommodarentur: novis etiam utebantur verbis, attamen iis, quae quam minime abhorrerent a Judaica dicendi confuetudine, quaeque vel e linguae facrae analogia, vel e fimilitudine impropriae fignificationis cum propria, vel ex adjecta declaratione aut fimilibus librorum fuorum locis facillime intelligi poffent. Quo in genere maxima in primis Paulli Apoftoli fubtilitas et, ut verius dicam, fapientia cernitur, quae ita temperat novorum verborum et fignificationis ufum, ut fervata religionis Judaicae verba transferat ad novas Chriftianae notiones, hujufque partes et varios quafi flexus uno eodemque verbo exprimat, quo tamquam proprio in certa aliqua re defignanda utitur, et χάριν e. c. διαθήκην, οἰκονομίαν, pro univerfo Dei quoad generis humani falutem inftituto, νόμον pro omni declaratione divina omninoque omni principio, quo hominum actiones dirigantur, πνεῦμα pro quacunque motione Dei, σάρκα pro omnibus illi motioni contrariis omnique imbecillitate, πίστιν pro omni perfuafione, maxime ea, quae Dei aut Chrifti auctoritatem fequitur, δικαιοσύνην et ζωὴν pro peccatorum condonatione adhibeat, ut alia ei propria vocabula τῆς θεοπνευστίας, τοῦ ἐλλογισμοῦ, fimiliaque praetermittam.

Iam, fi pura, fimplex, perfpicua, popularis etiam fuo modo, oratio dicenda eft

Digitized by Google

ea, quae omni ornatu detracto, proprie omnia eloquitur, nec quidquam plus continet, quam quod ad rem intelligendam necessarium videtur, est autem ingenio et rationi loquendi accommodata eorum, apud quos usurpatur quosque edocere velis: has ipsas virtutes haud dubie Apostolorum orationi oportet concedi. Neque rectius eae cognosci sacrisque scriptoribus asseri poterunt, nec ea, quae contra dicuntur, refelli, nisi ab iis, qui et Ebraicae loquendi consuetudinis periti sint, et propriae Apostolis indagandae curiosi; nec ulli clarissimis sacrarum Scripturarum verbis spissiores tenebras obduxere, quam qui ab utraque vel alterutra parte inermes essent. Quodsi igitur vere cupiamus Christianam doctrinam, puram eam quidem et ab humanis commentis liberam, tenere, omni studio contendamus atque sic bene de re Christiana mereamur, ut, relictis iis quae temeritas in interpretando invexerit, veram vim verborum, eorum in primis, quibus tamquam propriis Apostoli in tradenda illa doctrina utuntur, accurate pervestigemus, ne, neglectis illis interpretandi praesidiis, aut, suscepta temeraria, quamquam diuturno usu firmata, ratione, impia fraude, vel inscii et inuiti, obligemur. Qua in re quo modo peccatum sit, dum hoc quidem tempore uno exemplo, ducto illo ex illustri Paulli Apostoli loco in epistola ad Romanos

Digitized by Google

cap. I, 4., instituimus docere: speramus, nos aequos consecuturos lectores; indagandae enim veritatis magis, quam convellendi popularis erroris caussa, hanc omnem disputationem suscepimus, quae, si non afferat nova aut nemini ante nos cognita, bene tamen dicta illustrabit amplius et confirmabit.

Vexavit autem in illo loco, qui *filium Dei* nominat γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, ὁρισθέντα δὲ υἱὸν Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, vexavit inquam, ingenia interpretum maxime hoc, quid sit illud ΠΝΕΥΜΑ ΑΓΙΩΣΥΝΗΣ, quod nusquam, hac quidem forma, in Novi Testamenti libris reperitur. Ubi statim in promtu erat dicere, Π. ἁγιωσύνης, tamquam abstractum pro concreto, esse pro πνεύματι ἁγίῳ, ut alias est σῶμα τῆς ταπεινώσεως Phil. II, 21 pro σώματι ταπεινῷ, aut υἱὸς τῆς ἀγάπης Col. I, 13 pro ἀγαπητῷ, et sexcentis in aliis. Obvium hoc erat, et sensus ad reperiendum non admodum difficilis, si varietas significationis in πνεύματι ἁγίῳ adhibita et translata ad hujus loci sensum reperiendum fuisset. Sed vel transversos egit interpretes disjunctio male intellecta, quae est inter σάρκα et πνεῦμα, vel fefellerunt dicta, quae putaverant, similia, vel consuetudo studiumque inveniendae confirmationis gravioris loci theologici induxit,

Digitized by Google

ut πν. ἁγιωσύνης edicerent *divinam* Christi *naturam* esse; quaererent etiam, quod ab *Heumanno* dictum memini, rationem illius abstracti ἁγιωσύνης in eo, quod Paullus cavere voluisset, ne illa natura Christi cum tertia, quam appellant, Numinis persona confunderetur. Atqui hic quidem ante, quam illum sensum tamquam verum et, ut solent dicere, nulli dubitationi obnoxium, admitterent, quaerere debuissent: essentne alia in N. Testamento et in epistolis Paulli exempla talis subtilitatis, qua cuique Christi *naturae* suum, quasi quadam determinatione, tribueretur? Quae quidem desidero, si ab uno fortassis loco Rom. VIIII, 5 discesserim, in quo tamen satis constat disputari: utrum verba: ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς ad Christum sint, an potius ad Patrem, referenda? In loco quidem Act. II, 30, ut hodie nemo ignorare potest, e textu vulgato verba τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν χριστὸν ejici, optimorum codicum, versionum atque Patrum auctoritas jubet. Praetermitto cetera 1 Tim. III, 16. Ebr. VIIII, 13 et 1 Petr. III, 18, quae (leniter enim dicamus) multo magis etiam incertae sunt interpretationis. Sed demus hoc quidem; altera erat et gravior quaestio: quo modo per usum loquendi in πνεύματι ἁγιωσύνης possit esse significatio divinae Christi naturae? Nusquam enim ita occurrit; nec umqaam quisquam docebit, rationem linguae hanc

sensus insolentiam ferre; nec ita imperitus erat et expers recte loquendi Paulus aut ita negligens analogiae linguae graecae, ut, si novum vellet verbum aut novum verbi sensum effingere, tali uteretur. Est profecto vitium in interpretando maximum, divinare et eruere verborum sensum ex orationis contextu, locis similibus, vagae ac incertae disjunctionis legibus et aliis hujus generis, ante quam de usu loquendi constet, aut eum ratum certumque habere et profiteri, nisi eum docueris vel conciliari cum linguae rationibus posse; quo modo enim audeas statuere, sensum *vere* inesse verbis, nisi intellectum sit, in iis hunc esse *posse?* Sed concedantur haec quoque negligentiae, quamquam vix excusandae, cum hoc a fonte magni errores iique valde noxii puritati doctrinae Christianae manaverint; restant tamen alia quae contra dici possint. Planissime quidem Paullus *filium Dei* dicit *tamquam Dei filium demonstratum esse s. declaratum per resurrectionem e mortuis;* sic enim videntur cum plerisque interpretibus verba reddi debere. Namque ὁρίζειν hic esse pro ἀποδεικνύειν, magno consensu concedunt et illustrant e loco Act. II, 22 ubi dicitur ἀποδεδειγμένος ἀπὸ τοῦ Θεοῦ δυνάμεσι κ. τ. λ. is, quem, ut est v. 36 Deus Dominum et Christum fecerat; nec ἀνάστασις νεκρῶν, quod quidam voluere, referri

Digitized by Google

debet ad Christum, qui et quoad aliis, ac sibi in primis ipse, reddidit vitam, sed quoad ipse revocatus ad vitam fuit. Ubinam enim locorum ἀνάστασις νεκρῶν ita active et, ut ita dicam, transitive dicitur? aliena sunt enim loca omnia, quae hac in caussa afferuntur, nec ibi ἀνάστασις νεκρῶν secus est quam de iis, qui surgant ad vitam sive revocentur e morte. Christus porro et Apostoli, ut doceant, vere eum esse magnum illum legatum Dei, ad ejus resurrectionem provocant, Matth. XII, 39. 40 et alibi; numquam tamen ad illud, quod sibi ipse vitam restauraverit z). Quid est etiam, cur in isto vocabulo

z) Hic fortasse alicui veniant in mentem verba Christi Joh. X, 18: *ego vitam meam pono mea sponte* (ἀπ' ἐμαυτοῦ); *ponere illam pariter est in potestate mea ac recuperare;* quae quidem nunc memini quamplurimis videri clarissimam professionem divinae naturae continere; praeter Deum enim neminem vitam reddere cuidam posse. Verissimum quidem hoc postremum; quod et Christus agnoscit, dum addit: *hanc potestatem* (ταύτην τὴν ἐντολὴν. f. ἐξουσίαν) *accepi a Patre meo.* Quibus verbis non magis sibi tribuit naturam divinam, quam istis aliis, iisque toties repetitis, quibus, quidquid cognoverit, docuerit, egerit, uni Patri debere in acceptisque referre profitetur. Hac igitur a Deo — ut ait ipse, cujus auctoritas nobis potior esse debet omnibus opini-

Digitized by Google

cabulo vim sibi restituendae vitae Christo tribuendam quaererent, cujus nullam Paullus significationem dedit, nisi cupiditas vindicandi argumenti, quod Paullum putant pro divina Christi natura ex ejus ἀναστάσει duxisse? Sed illa ipsa difficultas in nectendo hac e re argumento divinitatis Christi, satis ostendit, nihil quidquam hic Paullo de divina Christi natura in mentem venisse. Quomodo enim hoc sequitur: revocatus est ad vitam, itaque eum vero ac proprio sensu

onibus et interpretationibus nostris — hac igitur sibi a Deo concessa vi cum fuerit usus ad restaurandam animi cum corpore suo conjunctionem: potuitne jure quodam suo et maxime proprie dicere, sese sibi ipsum reddidisse vitam suam eamque arbitratu suo recuperasse? Quamquam, si nec premere verba omnia eorumque maximam proprietatem volumus, satis constat e Scripturis sacris, cum Christus sponte ipsam subierit mortem, Deum hujus virtutis remunerandae caussa, ei et vitam reddisse et cum immortalitate vitae summam felicitatem concessisse. Quam remunerationis magnitudinem cum sibi parasset perfectissimo obsequio, eoque usque ad liberam mortis susceptionem praestito, sic, ut hanc liberalitatem in morte subeunda necessario illud beneficium restauratae per Deum vitae, sequeretur: verissime poterat Christus dicere: *ponendae recuperandaeque vitae se potestatem habere.*

Digitized by Google

oportet esse Deum? Hujus argumenti vanitatem sensere, propвтereaque ἀνάστασιν, quam Christo cum aliis communem agnovissent, maluerunt de aliqua ei propria, hoc est, de tali, quam Christus ipse sua vi effecisset, interpretari. In quo, si duritiei, ut ita dicam, interpretationis nullam rationem habuerim, mihi quidem videntur minus peccasse quam ceteri, qui Paullum comminiscuntur voluisse divinam Christi naturam ab ejus ad vitam revocatione arcessere; cujus consecutionis vim nec possunt explicare, nec demonstrarunt umquam, sed fere ludunt in usurpando nomine *filii Dei*, et, cum exspectes hoc: ergo est verus ac proprie *Deus*, callide substituunt alterum: itaque est verus *Messias*; nam haec quoque vis est illius nominis, ut facile sit ad videndum, alio hoc nomen sensu esse in collectione, alio in praemissis; quod est in argumentando vitiosissimum.

Hac ambiguitate nominis depellenda ducimur ad aliam caussam, quae impediat, quo minus πνεῦμα ἁγιωσύνης hic possit dictum esse de Christo tamquam Deo. Nempe *filium Dei*, si quidem hoc nomen de Jesu, Domino et Sospitatore nostro, usurpatur, eundem esse quem *Christum*, h. e. Dei legatum, missum nostrae salutis caussa, dubitari nullo modo potest per loca ea, in quibus,

Digitized by Google

five ipsis, five inter se collatis, vel conjungitur nomen *Christi*, interpretandi caussa, cum illo *filii Dei*, ut Matth. XVI, 16. XXVI, 63. Luc. IIII, 61. Joh. I, 50 cet.; vel hoc pro nomine, quod est in uno loco, in altero *Christi* nomen substituitur, ut Matth. XXVII, 40 et 43 coll. Marc. XV, 32. 1 Joh. V, 1. coll. v. 5. et cap. IIII, 2; vel nomina υἱοῦ Θεοῦ et υἱοῦ ἀνθρώπου permutantur, veluti Marc. XIIII, 61; coll. v. 62 et Matth. XXVII, 63. 64, itemque Joh. V, 25 coll. v. 27; vel filius Dei ita describitur, ut ei tribuantur quae non possunt, nisi in Christum hominem, cadere, cujus generis locus est in Lucae Evangelio cap. I, 32 seqq. An proprie idem filii Dei nomen de Christo *Deo* dicatur in sacris Scripturis, video a quibusdam dubitari, nec mihi occurrit locus ullus, in quo non possit non accipi de ejus divina natura. Sed sit ita sane; relinquitur tamen quaestio, nostro in loco Paullino utra sit significatio praeferenda? Quod quidem nullam dubitationem habet in versu 3, ubi Paullus commemorat Evangelium Dei de *filio suo*, quem dicit γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα; e quo hoc certe consequitur, *filium Dei* versu 3 non posse esse de Christo tamquam *Deo*, sed magis universe, sic, ut, quemadmodum ipsum nomen *Christi*, inferiorem pariter ac superiorem ejus naturam

Digitized by Google

vel conditionem complectatur. Iam in interpretando simplicitas postulat, ut sensu eo, quo quis verbum aliquod declaraverit, idem accipiamus post, cum orationem inchoatam persequitur, nisi quid aliud impediat, quo se ostenderit ab adhibita verbi significatione velle in orationis cursu deflectere. Atqui nullam talem variati sensus significationem Paullus dedit, nisi fere hoc: κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης; quod quoniam in disputatione versatur, ejus sensus non sumi, sed quaeri debet, nihil hic quidem ad decernendum facit. Itaque, nisi Paullum velimus inconstantiae in loquendo accusare, in promtu est, *filium Dei* in versu, quem interpretamur, quarto pariter, non de *divina* natura Christi esse, sed de eo, tamquam Dei legato, universe. Idque hoc magis probabile est, cum Paullus non dicat τὸν ὄντα sed τὸν ὁρισθέντα υἱὸν Θεοῦ, doceatque hoc verbo *declarandi*, non se *naturam* Christi aliquam describere, sed *auctoritatem* tamquam legati divini, quam Deus *demonstraverit* per ejus resuscitationem e mortuis.

At filium tamen Dei, ajunt, hic describi dupliciter, primum, tamquam *hominem*, in illis: γενόμενον — κατὰ σάρκα, post igitur in ceteris: ὁρισθέντα υἱὸν Θεοῦ κατὰ πν. ἁγ. ἐξ ἀναστ. νεκρῶν, tamquam *Deum*; id enim per disjunctionis leges secus esse

Digitized by Google

non posse! Audio, et illam vim disjunctionis agnosco. Sed nimirum quaeritur, quo modo haec disjuncta sint? Verum est, τὸ κατά σάρκα signum esse ejus, quod est in illis: γενόμενος et quae sequuntur, h. e. significationem Christi tamquam *hominis*. At non statim licet concludere: ergo τὸ κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης docet: alterum enunciatum: τὸν ὁρισθέντα υἱὸν Θεοῦ, referendum esse ad eum, quoad est *Deus*. Etenim Christus tamquam *homo*, poterat etiam, praeter Deum, cum aliis hominibus comparari ac potius ab iis discerni, hoc fere modo: *partim*, *natus est* s. ortus Dei filius *e Davidis posteris, et hactenus spectatur tantum quoad humanitatem* (κατὰ σάρκα), *partim demonstratus est tamquam Dei filius per resurrectionem e mortuis*, est igitur longe ceteris omnibus excelsior, unicus in suo genere homo, Christus s. Messias, *isque est vi Spiritus sancti* (κατὰ πνεῦμα ἁγ.) Atque hic repetendum puto, quod paullo ante admonui, Christum hic non ὄντα s. γεγεννημένον dici, ut respondeat participium alteri γενομένῳ, sed ΟΡΙΣΘΕΝΤΑ, *declaratum* filium Dei; Paullique dictum loco simili illustrabo. Nempe in Joannis Evangelio cap. III, 6 verba sunt Christi haec: *Quod genitum est e carne, caro est, et, quod genitum e Spiritu, Spiritus est* h. e. qui homo ab *homine* est procreatus, merus est *homo*, nec ista origo hu-

mana uni homini majorem dat dignitatem prae altero, nec igitur nato Judaeo prae eo qui non eſt ex Abrahami ſtirpe natus; ſed qui a *Spiritu* procreatus eſt (vide v. 5. et cap. I, 13 apud Joannem), *ſpiritualis* eſt homo, longe igitur excellentior ceteris hominibus, qui talem impropriam originem a Deo non ducunt. Quem ad modum in his Chriſti verbis illa: σάρξ ἐστι ac πνεῦμα ἐστι, non diverſas exprimunt naturas, illud humanam, hoc divinam proprio ſenſu *naturam*, ſed unius ejusdemque hominis diverſam *conditionem*, ut idem ille homo dupliciter conſideretur, tamquam homo, et iterum tamquam homo excellentior: ſic pariter in loco Paulli disjuncta poſſunt explicari. An debeant etiam? id eſt quodam modo his, quae de nomine *filii Dei* eoque Jeſu, Domino noſtro, per revocationem e mortuis *afferto* diximus, apertum, et ſuſcipienda diſputatione de vero ſenſu τοῦ πνεύματος ἁγιωσύνης aperietur amplius.

Licebit enim nunc redire ad id quod ſupra poſuimus, πνεῦμα ἁγιωσύνης eſſe fere pro πνεύματι ἁγίῳ, hujuſque nominis vim eruendam eſſe, ſi quidem in ſenſum ei a Paullo ſubjectum velimus penetrare. Nec tamen omnis varietas in hujus nominis uſu excutienda videtur, quod eſt a multis ſaepe ac diligenter factum; ſatis eſt, eam deligere

Digitized by Google

vim et paullo accuratius exponere, quae pertinet ad illum locum, quem illustrandum suscepimus. Hic enim quaeritur: quo modo aut quanam re Jesus sit *filius Dei*, sensu videlicet eo, quo, talis quod esset, posset ex ejus ad vitam revocatione intelligi, h. e. quoad is sit Messias s. Christus? ita enim in Novi Test. libris plerumque, ac potius semper, accipi *filium Dei*, certum est. Enimvero *primum* originem illius sacra Scriptura perspicue tribuit Πνεύματι ἁγίῳ in illustri loco Lucae I, 35: *Spiritus sanctus illabetur in te, visque Dei gravidam te reddet; Propterea is*, qui e te nascetur, *sanctus*, appellabitur *filius Dei*. Habes hic *Dei filium* sic appellatum hac de caussa, quod esset procreatus a *Spiritu Sancto*; hunc autem Spiritum eundem cum δυνάμει Ὑψίστου s. vi summi Numinis, ut sine vi verbis illata, quis sit ille Spiritus S., dubitari non possit. Nec secus est in loco simili Gal. IIII, 29, ubi Isaacus γεννηθεὶς dicitur κατὰ πνεῦμα, ut Ismael κατὰ σάρκα, quoad hic erat, ut ceteri homines solent, ille, vi divina ab Abrahamo et Sara, jam emortuis h. e. ad gignendum ineptis, procreatus. Quo loco consulto sumus usi, ne quis in loco nostro cum *Beza* aliisque urgeret illud: si ad originem Christi referri deberet πνεῦμα ἁγιωσύνης, non ΚΑΤΑ, sed ΔΙΑ adhibere debuisse Paullum.

Digitized by Google

Sed multo magis *etiam* Jesus hactenus Messias s. Christus dicitur, quod sit imbutus Spiritu S. administrandique muneris Servatoris nostri facultate ornatus. Ita enim est in illo loco Esaiae LXI, 1. quem recitat Lucas cap. IIII, 18: ΠΝΕΥΜΑ ΚΥΡΙΟΥ ἐπ' ἐμέ, ΟΥ 'ΕΝΕΚΕΝ ΕΧΡΙΣΕ με, (imbuit s. unxit me, quasi tu diceres: *Christum* me fecit) εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς cet.; quo eodem sensu Joannes Baptista dicit in Evangelio Joannis c. III, 34 Deum ei dedisse τὸ ΠΝΕΥΜΑ οὐκ ἐκ μέτρου, *non mediocriter*, ut ceteris prophetis, proptereaque hunc, *a Deo missum, effata Dei eloqui*, h. e. inter prophetas maximum esse. Quare idem ipse baptista Joannes apud Joh. I, 33 sibi oraculum narrat a Deo contigisse, quod ediceret: *In quemcunque videris Spiritum delapsum, hic est imbuturus alios Spiritu Sancto*, quem cum vidisset, se item professum esse, quod hic sit *filius Dei*. Nec dubitamus Act. I, 2 cum Syro interprete aliisque conjungere verba διὰ πνεύματος cum participio ἐντειλάμενος, hoc sensu: *mandata dedit Jesus Apostolis* διὰ πνεύματος ἁγίου h. e. tamquam *propheta*; hi enim proprie, ut ait Petrus 2 epist. I, 21, locuti sunt agitati a *Spiritu Sancto*. Quid igitur magis conveniat, quam verba ea, quibus apud Paullum Jesus dicitur *filius* Dei, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, interpretari: quoad per Spiritum Sanctum

πε. quoad tamquam *propheta*, non tamquam simplex homo (κατὰ σάρκα), spectatur?

Accedit alia, propior etiam, ut mihi quidem videtur, ratio, cur Spiritus S. hic appelletur πνεῦμα ἁγιωσύνης. Nempe Christus κατ' ἐξοχὴν dicitur ὁ ΑΓΙΟΣ, atque hoc est illi nomini plane συνώνυμον, ut in illo Psalmi XVI, 10: *non concedes, ut sanctus tuus corruptioni obnoxius sit*, et Luc. IIII, 34 ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. Ἁγιάζειν igitur Christum dicitur Deus, quatenus eum Christum s. Messiam creavit; veluti cum Jesus Joh. X, 36 se profitetur esse, ὃν ὁ Πατὴρ ΗΓΙΑΣΕ, *quem Pater sanctum reddidit suum et misit in terrarum orbem*, et eodem, ut arbitror, sensu est cap. XVII, 19: ΑΓΙΑΖΩ ἐμαυτὸν ὑπὲρ αὐτῶν, *consecro me*, tamquam Christum s. *sanctum* illum Dei praesto me, *eorum caussa, ut et illi per veritatem consecrentur* (ἵνα ὦσιν ἡγιασμένοι, s. ut alias dicuntur in loco Petrino ΑΓΙΟΙ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι i. e. prophetae). Atqui Paullus in nostro loco id, quo Christus est filius Dei, dicit πνεῦμα ἁγιωσύνης, quem ad modum omnes codices magno consensu exhibent, non ἁγιότης, quod esset ab ἁγίου nomine derivatum reique *naturam* ostenderet, ut illud nostrum a verbo ἁγιόω cum *effectionis* significatione; quo fit, ut π. ἁγιωσύνης vertendum sit proprie: Spiritus *sanctificationis*,

non: ſanctitatis. Quam ob rem πνεῦμα ἁγιωσύνης diceretur propter ea, quod Jeſum reddidit *Sanctum* illum Dei; id quod planiſſime exprimeret *Dei filium;* quo quid magis poſſet vel verbi hujus naturae, vel nomini filii Dei accommodatius a Paullo dictum eſſe?

Faciet autem ad iſtius interpretationis noſtrae veritatem confirmandam, ſi quis conferat locum admodum ſimilem 1 Tim. III, 16, in quo Chriſtum profitetur Paullus φανερωθέντα ἐν ΣΑΡΚΙ et δικαιωθέντα ἐν ΠΝΕΥΜΑΤΙ, *qui conſpicuus factus eſt tamquam Homo, cujus jus reddidit Spiritus (dem der Geiſt ſein Recht verſchafft hat);* quemque obiter illuſtrare quoque, non alienum erit a diſputatione noſtra. Δικαιοῦσθαι videlicet conſtat eos, quorum cauſſa agnoſcitur juſta, quique vel abſolvuntur judicis ſententia tamquam inſontes, vel quibus redditur quo erant fraudati. Hoc eodem ſenſu Chriſtus appellatur δικαιωθεὶς τῷ πνεύματι, quatenus effecit Spiritus S. ſive per miraculorum facultatem Chriſto conceſſam, ſive, quod mallem, propter locum Luc. IIII, 18, per excellentiſſimam vereque divinam doctrinam quam vis ſummi Numinis ei impertiiſſet, ut agnoſceretur talis, qualem ſe eſſet profeſſus, h. e. unus Dei filius ſ. legatus, quem Pater miſiſſet ad ſalutem generis humani. Hunc commendare ſenſum videntur ſimiles loci,

Digitized by Google

in quibus de se Christus eodem verbo utitur. E quorum numero est is, in quo σοφίαν dicit δικαιωθῆναι ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, Matth. XI, 19 h. e. fore, ut, quamquam de se inique judicent Judaei (vide initium hujus versus), tamen discipuli rectius judicent, suamque etiam in agendo sapientiam agnoscant. Nam Sapientiae nomine haud dubie se ornat ipsum, ut alias Luc. XI, 49 id tribuit *Sapientiae*, quod ipse narratur dixisse Matth. XXIII, 34. Et vero etiam Joh. XVI, 8 Πνεῦμα dicitur *arguere profanos de justa* (Christi) *caussa* (περὶ δικαιοσύνης); quod v. 10 ita repetit Christus, ut adderet: *namque ad Patrem abeo, nec porro me videbitis*; alias etiam, Joh. VIII, 28, planius eloquitur sic: *Cum extuleritis me* (τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, h. e. cum sustuleritis me in crucem atque ego posthaec in coelum sublatus fuero; vide cap. XII, 32 et 33) *tum demum*, sero nimis ac sine fructu quem capere potuissetis e doctrina mea, *intelligetis*, *qui Ego* s. quod Messias, *fuerim*, *et quod nihil meo arbitratu fuerim locutus*, *sed*, *quem ad modum me docuit Pater meus*, *ita docuerim*. Est igitur sensus illius loci Joh. XVI, 8 et 10 is: Etsi nunc profani justitiam mihi negant, ac potius justam meam caussam, qua me Dei summum legatum profiteor, non agnoscunt; postea tamen, cum ad Patrem abiero meum, efficiet divina vis, qua meliora edocebuntur, ut intelligant, ju-

Digitized by Google

ftiffimam fuiffe cauffam meam. Haec fi comparentur cum loco fuperiore 1 Tim. III, 16: quidni ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι fignificet: jus ejus vindicavit Spiritus, cauffam ejus et auctoritatem afferuit? quidni igitur in loco noftro πνεῦμα ἁγιωσύνης fit Spiritus St. five Vis divina, quae Jefum *Sanctum* f. *Filium Dei* h. e. Meffiam reddiderit?

Hoc cum arbitremur idoneis argumentis demonftraffe, fupervacuum fuerit, enarrare et examinare aliorum fententias aut modum, quo dederint operam, ut rectius horum verborum fenfum vidiffe exiftimarentur. Unam licebit attingere, quam nuper propofuit vir doctus nefcio quis? cujus difputatio de verbo πνευματος, quoad de Chrifto ufurpatur, exftat in *Repertorio für biblifche und morgenländifche Litteratur*, Part. II. pag. 1 feqq. in primis pag. 19. Qui cum putaret, hoc vocabulum meliorem Jefu conditionem poft hanc mortalem vitam exprimere, hoc ad noftrum quoque locum transtulit atque ejus fenfum hunc voluit effe: primum Chriftus natus eft e ftirpe Davidis, quo coepit humilior ejus conditio; tum denuo natus eft e fepulcro per refurrectionem mortuorum, atque fic coepit ejus illuftrior vita, quae ἁγία dicitur fenfu eo, quo Ebraeis omnia funt *fancta*, quae veneratione cultuque digna funt; eratque haec nova Chrifti conditio et vita argumento, quo filius Dei et altiore natura ornatus agnofceretur.

Digitized by Google

Nec tamen vereor, ne haec interpretatio ceteris omnibus praeferatur. Certe ne docuit quidem satis auctor hujus interpretationis, eam usui loquendi esse consentaneam atque sic ferri cum ceterisque componi posse. Nam unus ille locus, quem excitat, 1 Petri IIII, 6 (ceteros enim huic uni accommodavit): *etiam* (Christianis) *jam mortuis nunciatum est Evangelium hac lege*, ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι, nihil aliud continet nisi hoc; *ut plecterentur quidem ab hominibus quoad corpus; sed quoad animum a Deo conservarentur.* Namque ζῆν eodem sensu est Joh. IIII, 50 et alias, et locus similis Matth. X, 28 vetat, ne Christiani metuant eos (homines videlicet) qui *corpus* interimere possint, *animum* autem nullo modo, cum *Deus* utrumque, si velit, interimere possit. Qui quidem sensus se sua simplicitate magis commendat, quam ille alter quem ille defendendum susceperat: *praesenti quidem vita privantur ab hominibus, sed illam futuram, eamque meliorem, obtinent per Deum.* Nec secus, quam diximus de verbo ζῆν, videtur esse τὸ ζωοποιηθῆναι in loco c. III, 18, quem rectius e nostro Petrino, tamquam ad interpretandum faciliori, quam hunc, cujus obvius est sensus, ex illo perobscuro interpretabimur. Quidquid tamen sit, Paullus, qui, cum nova informat verba, ad analogiam suae loquendi consuetudinis ea informasse putandus

Digitized by Google

est, numquam sic utitur πνευματος verbo, ut futuram in coelis felicitatem significet, ab hoc igitur Paulli loco illa significatio alienissima est. Sed missis his, quae obiter disputavimus, satis erit breviter repetere loci nostri sensum, ut nobis quidem Paullo obversatus videtur: *Natus est filius Dei e genere Davidis, si ejus humanitas* (aut humilior conditio) *spectetur, Demonstratus autem Dei filius vi divina,* (ἐν δυνάμει cf. 2 Cor. XIII, 4) *per resurrectionem e mortuis, si quidem ratio habeatur Spiritus qui eum sanctificavit* h. e. vis illius divinae qua factus erat Sanctus, i. e. Filius Dei.

Vos autem, *humanissimi Academiae nostrae cives*, admoniti hoc Paulli loco, date operam hoc tempore, quo memoria nati Servatoris nostri *Jesu Christi* cultu publico repetitur, ut appareat, Vos illa vi summi Numinis moveri, quae unice nos potest *sanctos* reddere, hoc est non modo verae virtutis inprimisque pietatis in Deum studiosos, sed etiam hactenus Domini nostri *Jesu Christi* similes, quod, imbuti vera sapientia et conspicui sensu animi, quo unice probari cupiamus Deo, ceteris, quibus exemplo debemus esse, praestemus. Quod bene vertat Deus!

P. P. die XXIV Decembris A. C. MDCCLXXXXIII.

V.

PROLUSIO

IN

LOCUM PAULLI APOST.

Gal. III, 20.

Digitized by Google

Digitized by Google

Gal. III, 20.

Ο ΜΕΣΙΤΗΣ ΕΝΟΣ ΟΥΚ ΕΣΤΙΝ.

Ο ΔΕ ΘΕΟΣ ΕΙΣ ΕΣΤΙΝ.

De perobscuro hoc, eoque infinitis interpretum disputationibus agitato loco scribere, etsi paene supervacaneum videatur: effecit tamen haec ipsa tam varia tamque multorum sedulitas; qua vereor ne obscurata sit magis quam illustrata vera hujus loci vis, ut eum nova diligentia investigandum putarem. Non quo novi aliquid luminis afferre me ipsi loco posse existimen, aut dicere quod non dictum sit prius, sed tamen operae pretium est, cognoscere caussas, quae interpretibus in indagando sensu obfuerint; sensum quaerere eum, qui a natura verborum et

Digitized by Google

scriptoris consilio majorem habeat, quam a studio et doctrina, commendationem; viam certe ac rationem eam tenere, qua, quae jam visa sint paucis, facilius ad persuadendum dici possint [a]).

a) Discrepantes interpretum sententias in primis collegerunt *Jo. Christoph. Wolfius* ad h. l. *Curar. philol. et crit.* Tom. II. p. 734. sq., *Koppius* Excursu VII. post epistolam ad Galatas, Vol. I. p. 113. seq. et is qui A. MDCCLXXXVII edidit *Apostolische Briefe erklärt aus den Religionsmeynungen des ersten Jahrhunderts.* (Laur. *Frid. Leutwein*, Rector et Prof. Gymnas. Halensis Suev.) Vol. III. p. 587. Nec tamen posthac loco illustrando defuit doctorum nostri temporis virorum diligentia, *Gableri* et *Blaschii*, quorum libellos enarravit *Eichhornii* Celeber. Viri *Allgemeine Bibliothek der bibl. Litteratur* Vol. I. p. 808—821, *Kallenbachii*, Rectoris Scholae Wernigerod. in *Specimine interpretationis ep. ad. Gal.* III, 20. edito Wernig. 1788, *P. H. Hanii, in den Schrifterklärungen, erste Fortsetz.* quae prodiit MDCCXC Sverini, p. 43—56, plurium etiam aliorum in *Henkii*. V. V. neuem Magazin für Religionsphilosophie etc. Vol. I. p. 552 seq. Vol. III. p. 295 et 306 seq. Vol. IV. 307 seq. et in *Eichhornii* Biblioth. Vol. IX. p. 26 seq. Omnium paene in hoc loco interpretando studia collegit, suo modo examinavit, suamque sententiam addidit *C. F. Bonitius* in libro: Plurimorum de loco Pauli Gal. III, 20 sententiae etc. edito Lipsiae 1800. 8.

Digitized by Google

Itaque, quoniam haec pars disputationis Paullinae rite tractari non potest, nisi bene intellecta vi disputationis universae, quae sit hujus natura, et institutio, paullo altius repetendum videtur. Ut igitur omne consilium Paulli in hac epistola scribenda versatur in evertendo studio eorum, qui legem Judaicam obtrudere omnibus Christianis vellent, in tertia et quarta epistolae sectione multis utitur argumentis, quibus efficiat, omnem ejus auctoritatem meliore Christi doctrina sublatam, nec propter ea ullam ejus porro rationem habendam esse. In his praetermittere placet primum c. III, 1—5 ac tertium c. IV, 21 seq., neque enim cadunt in hanc, quam suscepimus, disputationem. Sed his interjectum, idque alterum, argumentum cum iis, quae dicta transferunt ad usum vitae, omnemque caussam studio Galatrum commendant, cap. III, 6—IV, 20. hoc igitur ita persequitur, ut *primum*, Abrahami exemplo usus, doceat: quem ad modum ille non gratiosus fuerit Deo propter mores, quos conformaverit arbitrariis praeceptis, sed propter fidem, sic, qui eandem felicitatem anquirant, eosdem hac conditione, id est fide, similes ejus esse oportere, c. III, 6—14. Ejus autem, quae cum sequitur, disputationis, susceptam caussam illustrantis, duae fere sunt partes. *Una* est

in refellendis his, quae contra dici posse viderentur, v. 15—29; *altera* rem illustrat perspicuo exemplo ducto e vita communi c. IV, 1—7. In ceteris v. 8—20 Apostolus, castigando errore Galatarum et revocando ad rectam viam, caussam perorat universam.

Videtis igitur, verba ea, quae sunt in quaestione, aliquam esse partem eorum, quibus Paulli caussa labefactari, ac potius confirmari et contra dicentibus satis fieri posse videretur. Tria quidem sunt, quae verebatur ne adversariis contra venirent in mentem. *Primum* (v. 15—18): veterem rationem, quae Abrahamo conciliaverat Dei benivolentiam propter fidem, sublatam esse nova, qua Deus se declarasset propitium futurum iis, qui leges per Mosen latas accurate secuti essent; ut in humanis etiam usu venire solet. *Alterum* est, nisi ita esset ut antiquandae fidei vim haberet Mosaica lex, cui bono data sit, nequaquam intelligi posse (v. 19 et 20); et vero etiam, id quod erat *tertium* (v. 21—29), legem ac fidem, utramque quidem a Deo laudatam, ac potius utriusque vim, inter se pugnare, quod indignissimum videatur sapientia divina.

Ex his nihil placet nisi alteram, quam diximus, dubitationem contra sentientium

Digitized by Google

attingere, haec enim nostrum quoque locum complectitur. Eam autem sic declarat Apostolus v. 19 et 20: *Quid igitur lex* (τί οὖν ὁ νόμος) aut: cui bono? quo consilio proposita sit? si quidem est fundamentum omnis consequendae benivolentiae Dei... Tum Paulus: *Delictorum caussa accessit* ad, aut, si mavis, post fidem, cujus unius gratia alias Abrahamum ejusque liberos Deo probatos dixerat. Ac istud *delictorum caussa* non habet hanc vim: voluisse Deum in Israelitis cupiditatem alienorum deorum severitate legis hujus ac molestia ulcisci, quod visum est non paucis, de disciplina Coccejanorum in primis; nec, admonere de culpa, criminumque memoriam excitare; sed legibus, tamquam vinculis, coercere Israelitarum petulantiam. Nam perspicue paullo post vers. 24 legem Mosaicam appellat παιδαγωγὸν, quasi tu diceres severum morum magistrum; sunt enim haec prorsus eadem: legem fuisse *paedagogum*, et *delictorum caussa* additam pristinae disciplinae esse, quod ipsa, quae addidit, verba docent: εἰς Χριστὸν, quae in illo loco sunt, ut est in nostro: ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα. Neque vero lex παιδαγωγὸς dicitur hactenus, ut quasi nos manu ducat ad Christum, impellatque ut poenarum atrocitate perterriti ad eum confugiamus; quae est pietati magis quam veritati consentanea interpretatio, e qua paedagogicum, quem

Digitized by Google

dicunt, legis usum veteres effinxerunt. Neque enim de ipso Christo loquitur formula: εἰς Χριστὸν, quod postea videbimus; nec, si Paullum audiamus, optimum verborum suorum interpretem, paedagogi verbum alio, quam quo diximus, sensu positum intelligitur. Namque haec: ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν ΕΙΣ Χριστὸν, et alter loquendi modus v. 23 ΠΡΟ τοῦ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, vel quod est v. 25 ἐλθούσης τῆς πίστεως, ΟΥΚ ΕΤΙ ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν, prorsus sunt paria; quo fit, ut παιδαγωγὸς γέγονε εἰς Χριστὸν nihil sit aliud nisi: *ante quam* fides introduceretur h. e. christiana doctrina, aut, si mavis, prius quam essent Christiani, uno verbo *ante* Christum, *continebamur* legis Mosaicae *disciplina* et quasi principatu. Nec similitudo ea, quam Paulus persequitur capite IV, alium sensum offert; propter ea quod ibi pro paedagogo ἐπιτρόπους substituit et οἰκονόμους, quorum est curam habere aliorum et disciplina pueros cohibere, in quo proprium consistit *paedagogorum* officium; atque hactenus c. IV, 1 impuberes, quamquam haeredes futuri, nihil a *servis* differre dicuntur.

Sed primariam sententiam: quod Dei consilium in lege ferenda non fuerit hoc, ut ejus studiosi gratiosi essent Deo, sed ut ejus disciplina Jsraelitae a peccando revoca-

Digitized by Google

rentur, eam igitur adjectionibus quibusdam declarat, quae haud dubie habent vim docendi, quod lex Israelitarum nequaquam sit Christianis scripta aut his ad obsequendum proposita. *Una* est definitio in verbis: ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, *data lex est usque dum venerit progenies* Abrahami *cui sunt data promissa; altera*, νόμον dicit διαταγέντα δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτου. Sed de utraque amplius exquirendum est.

Ac in *illa* quasi legis descriptione notio universa est: τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, quae regnat per universam Paulli disputationem, quoad argumentum, ductum ab Abrahami exemplo, ad infringendam legis auctoritatem, quam ad notionem τοῦ σπέρματος cetera omnia referenda sunt. Hac neglecta necesse est, omnem sensum orationis Paullinae perverti; itaque haec quid contineat, in primis accurate constituendum videtur. Nempe paullo superius, versu 16, planissime ut in loco nostro, dixerat *promissiones datas esse Abrahamo ejusque semini*, quae qui sola legerit, secus non poterit intelligere, quam de Abrahami *liberis*. Quod si enim dubitari non potest, τῷ Ἀβραάμ, in dandi, quem Grammatici dicunt, casu positum esse, cogitur, τῷ σπέρματι in Dativo pariter esse accipiendum; nec quidquam durius est hoc, quod velint τῷ σπέρματι quasi

in Ablativo dictum esse, ut sit pro *ἐν τῷ σπέρματι*, *per ejus progeniem* aut aliquem ab Abrahamo ortum, in quo *Christum* agnoscendum esse profitentur. Cujus rei nec ullum est vestigium in superioribus; quamquam non ignoro, huc trahi verba commatis 8: Ἐυλογηθήσονται ΕΝ ΣΟΙ πάντα τὰ ἔθνη, quasi esset in isto loco: *beatae erunt per te omnes gentes*, sic ut *per te* significet *per aliquem posterorum tuorum*. Quis est tamen, liber ab opinionum temeritate, quin sentiat, hoc esse vim inferre verborum potestati, cum longe simplicior se sponte offerat sensus, quo *cum* Abrahamo beati dicantur? Paulus ipse quidem statim interpretatur v. 9: εὐλογοῦνται ΣΥΝ τῷ πιστῷ Ἀβραάμ, qui magis audiendus est profecto, quam aliorum calliditas interpretum.

Sunt igitur, qui *seminis* nomine comprehenduntur, aut quibus eadem, quae Abrahamo, felicitas *tribuitur*, liberi ejus, non, ut opinantur, *unus* ex illis, cujus beneficio his contigerit. Atque in hoc omnis est Paulli disputatio, ut planum faciat a versu 6, quem ad modum propitium se Deus dixerit Abrahamo propter fidem, sic hujus caussa pariter eandem sortem consecuturos eos, qui ejus fidem imitentur. Quam in rem versu 7. perspicue, *quorum*, inquit, *fides elucet* (οἱ ἐκ πίστεως), *hi sunt Abra-*

Digitized by Google

hami liberi s. ut alias est, ejus *semen*; quod nomen paullo post, v. 7 et 8, vindicat *gentibus*. Nec neglexit, ut hos, quibus *destinata* esset aut promissionibus confirmata fortuna, ab eo discerneret, *quo* consequerentur hoc tantum beneficium. Nam *εὐλογίαν*, ΕΠΑΓΓΕΛΙΑΝ *τοῦ πνεύματος* (quod esset effatis divini spiritus promissum in V. T. libris) versu 14, *κληρονομίαν* v. 18, *ἐξαγόρασιν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου* v. 13 asserit *credituris*, sed *Christum τὸν ἐξηγοράσαντα* dicit, et illam beatitatem *per* eum contingere; quo iterum aperitur, *semen Abrahami*, *ᾧ ἐῤῥήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι*, non hunc esse posse, sed Abrahami liberos.

Denique in peroratione universae orationis, aut commemoratione ejus, quod omnibus e dictis, a se consequeretur v. 29, clarissimis verbis enunciat, non Christum a se semen Abrahami appellatum esse, sed, qui *Christi* sint s. Christianos esse *τοῦ Ἀβραὰμ σπέρμα καὶ κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμους*; ut paene incredibile sit, quo modo in illum alienum sensum accipere tam perspicua verba potuerint, nisi reperissent in ipsis Paulli dictis, quod erroris probabilem caussam contineret.

Nempe transversos egerunt interpretes ipsius Paulli verba, haud scio an perperam

intellecta, v. 16, quibus videtur superiora declarare: οὐ λέγει· ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΠΕΡΜΑΣΙΝ, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός· ΚΑΙ ΤΩΙ ΣΠΕΡΜΑΤΙ ΣΟΥ, ὅς ἐστι ΧΡΙΣΤΟΣ; quae ita plane putant de Christo dicta esse, ut nullius dubitationi locus relinquatur. In quo tamen, ne temeritatis poenas demus, duo licebit quaerere: *primum*: an *Christi* nomen recte acceperint? *tum:* referatne Paullus hoc discrimen σπέρμα inter et σπέρματα, ad Christum ab una, et Abrahami liberos ab altera parte? an alios ad liberos, qui quoniam uno genere continentur, uno quoque nomine ornati sint, sed ita, ut alterutra pars, quoad est ab altera diversa, semen in singulari numero dici queat? Haec sunt planius exponenda.

Unum igitur istud semen *Christum* esse Paulus profitetur. Recte. Sed propriene sit an tropice nomen intelligendum? jure quodam nostro quaeramus; cum satis constet, non semper de Christi persona, sed de aliis etiam cum Christo conjunctis, veluti de doctrina et moribus Christi, itemque, ut *Israelis* nomen de Israelitis, sic *Christi* de ejus discipulis s. de Ecclesia frequentatum a Paullo esse, quo sensu est 1 Cor. XII, 12. Non est igitur nulli dubitationi obnoxium, quod plerique existimavere, Christum ipsum unius illius seminis nomine sig-

Digitized by Google

nificatum, et video esse, quamquam paucos, qui dubitent, *Bezam*, *Cameronem* et *Petrum Launaeum* (de Launay, Paraphras. et Exposit. sur les Epitres de St. Paul, Charenton 1650 quaternis), virum plerisque ne de nomine quidem cognitum, sed ingenio verborumque intelligentia in primis excellentem. Ac vero *Christum* hic esse pro *Societate Christiana*, eandemque nomine *seminis Abrahami* comprehendi, Paullus ipse significat, cum dicit v. 29: Εἰ ὑμεῖς Χριστοῦ, ἄρα τοῦ ΑΒΡΑΑΜ ΣΠΕΡΜΑ, comprobantque omnia ea, quae ante diximus de *semine*, cui cum Abrahamo data essent promissa.

At quid fiet clarис Paulli verbis, quae non quasi *plura* semina h. e. plures Abrahami posteros, sed *unum* jubent intelligi? Id erat alterum in quaestione positum; in quo sumunt, non docent, Christum a ceteris ab Abrahamo generatis discerni. Quamquam nec necessarius hic est nec unicus horum verborum sensus, sed alius certe verior, cujus significationem non obscuram Apostolus dedit, quem paucis aperiendum putamus. Omnis omnino Paulli disputatio versatur in eo, ut pateat, non esse hos veros Abrahami liberos, qui proprie ita appellentur h. e. qui ejus de stirpe sint, Judaeos videlicet, sed qui Abrahami sint similes fide, quales erant de gentibus Christiani; nam hi

quoque alicujus liberi dicuntur in Scripturis, qui, quocumque modo, alterius doctrinam, animum, moresve referunt, ut Matth. V, 44, 45. Rom. IX, 8. et sexcentis aliis in locis; nec, qui opinentur se Deo servanda lege Mosaica gratiosos fore, sed fide promissa Dei amplectantur. Quocirca Abrahamus v. 6. et 7. dicitur *fidem habuisse Deo, ob eamque rem justum habitum esse, e quo fiat, ut qui fide conspicui sint, hi liberi Abrahami existimandi sint; hoc praedixisse Scripturam de gentibus, in illos: Omnes tecum beatae gentes* erunt, v. 8; *contra poenis obnoxios fore* (ὑπὸ κατάραν) *quoscunque, unis ab officiis lege* (Mosaica) *praescriptis salutem petentes suam* (ἐξ ἔργων νόμου ὄντας); et quae sunt alia in eam sententiam dicta.

Habemus igitur τὸ σπέρμα τοῦ Ἀβραάμ duplici sensu; uno, quo complectitur liberos Abrahami *proprios* s. ejus de sanguine ortos, altero, hos, qui *tropice* h. e. propter fidei similitudinem, *liberorum* ejus nomine ornentur. Quare, si de *uno semine* loquitur Paullus, alterutram partem s. singulas, vel hoc vel illo sensu, quasi formas liberorum Abrahami, h. e. sive Judaeos sive Christianos, par est intelligi; utrasque autem, ubi de *seminibus*, tamquam in plurali, loquitur, propterea quod sunt plures, h. e. duae, partes, quae

uno genere et communi ſeminis nomine continentur. Quam in rem illuſtriſſimus locus eſt epiſtolae ad Romanos capite IV. ubi Paullus v. 11. 12. Abrahamum pronunciat eſſe *Patrem* cum *omnium*, *qui*, *vel circumciſionis expertes*, *fide teneant promiſſa Dei* (πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας), atque hactenus *improprio* ſenſu ſint Abrahami liberi, tum *pariter circumciſorum* (τῆς περιτομῆς) ſ. proprii nominis filiorum, ſed horum ea lege, *ſi non tantum circumciſi ſint, ſed incedant quoque veſtigiis fidei*, *qua Abrahamus*, *pater communis noſter*, *ſpectatus fuerit ante quam circumciderctur* (τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ). Quo eodem ſenſu v. 16. *promiſſio divina certa dicitur omni ſemini* ſ. liberis Abrahami, *non modo ei*, *quod legem ſequeretur* (οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον) *ſed quod etiam fide ſimile eſſet Abrahami*, (ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ), *qui eſt pater noſtrorum omnium*.

Haec ſi transferantur ad locum de quo diſceptamus, et facilior ad ejus intelligentiam aditus datur, et expedire nos commode poſſumus e difficultatibus iis, quibus locum implicitum eſſe omnes conqueruntur. Quae quidem haud ſcio an duplici ex errore interpretum ſive naſcantur, ſive augeantur;

quorum unus est is, quem superiore disputatione e loco proscripsimus, unum *semen* Christum ipsum esse, ut, in plurali, *semina* ceteros Abrahami liberos, vel generatos ab ipso, vel eandem Deo fidem habentes; alter eo admissus, quod putarent Apostolum argumentando colligere aliquid velle e locis istis, qui Abrahamo promissa continerent, quo sumto vehementer vereor, ut possint vim talis argumenti explicare, aut Paullum ab interpretandi calumnia defendere. Quid est autem cur Paullo tale argumentum interpretationemque tribuant, cujus, si quid video, nulla necessitas apparet? Codex Colbertinus is, quem post *Wetstenium* solent inter Paullinos decimum septimum numerare, si veram lectionem offerret, offert autem: ΟΥ ΛΕΓΩ pro οὐ ΛΕΓΕΙ, nullus esset difficultati locus, omnesque agnoscerent, Paulum non tam mentem oraculorum quorundam divinorum, quam suam exponere voluisse. Nec contemnenda est istius codicis auctoritas, etsi unius qui illam lectionem exhibet; solet enim vel in rarissimis et plane singularibus antiquissimam scripturam referre b). Sed vel hoc ipsum, quod ista lectio: οὐ λέγω, textum a difficultate summa liberet, eam correctionis suspectam reddit de plerorumque

b) V. ejus laudes in *Griesbachii* V. V. *Symbol. criticis*, Tom. prior. p. CLXIX.

sententia; nec ea carere non possumus. Teneamus igitur vulgatam: οὐ ΛΕΓΕΙ, ἡ γραφὴ videlicet, eamque referamus ad illa, quae Abrahamus tulerat, responsa Dei. Sed ne sic tamen necesse erit, Paullum tamquam interpretem tractare aut contra suspicionem calliditatis in argumentando tueri, quae nulla est in ejus verbis. Etenim eadem formula tum utitur alias, cum verba quidem Vet. Testamenti affert, sed ea suam ad sententiam accommodat, nec proprie vetus oraculum interpretatur, sed suam magis mentem verbis e Scriptura translatis exprimit. In epistolae ad Romanos cap. X, ut hoc utar, v. 6. seq. locum profert Mosaicum sic, ut ibi loquentem introducat fidei justitiam h. e. Deum quasi commendantem necessitatem fidei ad gratiam Dei consequendam, ipsis his usus verbis: ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη ΟΥΤΩ ΛΕΓΕΙ, et iterum versu 8: τί ΛΕΓΕΙ; quamquam in illo Deuteronomii loco non ista de fide, sed de necessitate legis servandae loquatur Deus, nec Paulus formula τοῦτ᾽ ἔστι, Dei verbis apposita, sensum declaret istorum verborum, sed pro eo longe aliam sententiam substituat, eademque de legis intelligendae difficultate dicta transferat ad Christi revocationem e mortuis. Quidni igitur liceat quoque verba loci ejus v. 16, quem illustrandum proposuimus, ita reddere: *Sunt autem in Abrahamum dicta promissa et in*

semen ejus i. e. liberos: *Non loquitur* f. promittit haec, quod beati futuri sint, oraculum divinum *seminibus*, *tamquam plurali in numero* h. e. liberis Abrahami cujuscunque generis, ut hoc nomen eos quoque complectatur, qui proprio sensu dicantur, aut origine et circumcisione sola cum Abrahamo conjunctos; *sed quasi in singulari: semini tuo*, uni tantum horum liberorum generi, *id est Christianis*, videlicet iis, qui propter fidei similitudinem nomine liberorum Abrahami vere digni reperiantur.

Vidimus, quid sit *semen Abrahami cui data sint promissa*; veniamus ad *alterum* h. e. legis Mosaicae descriptionem versu 19. qua dicitur νόμος διαταγεὶς δι᾽ ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτου. Quamquam non persequemur ea, quae legem promulgatam dicunt per angelos, sunt enim haec satis trita interpretum commentariis. Hoc unum licebit observare, non frustra haec esse ab Apostolo posita, vel ab ejus consilio aliena. Nam quem ad modum ad Hebraeos capite III, 5. admonet: *non esse angelis subjectum orbem*, *de quo loquatur*, *futurum* h. e., ut hodie solet accipere optimus quisque interpres, non esse novum quasi orbem Christianorum addictum legibus Mosaicis, angelorum, quod Judaei opinabantur, interventu editis: ita pariter statuendum videtur; angelorum in Lege ferenda com-

commemorationem hanc habere vim, ut intelligatur id, quod est universa Paulli oratione tractatum, parum auctoritatis habere Mosaicam legem, si comparetur cum Evangelio, quod ab ipsius Dei filio hominibus propositum sit. Ita quidem colligit Paulus in loco ad Hebraeos v. 2. seq: *si lex edicta per angelos certa fuit* h. e. si Deus se poenis demonstravit ulturum hos, qui leges istas migrassent: *quo modo nos effugiemus* certissimam poenam, *tantam contemnentes salutem, quae prima tradita est per Dominum.* Nec illa: ἐν χειρὶ μεσίτου alia de caussa addita sunt; sumimus autem, illum μεσίτην esse Mosen, quem unum veteris Testamenti libri tradunt a Deo adhibitum, ut leges Sinaiticas referret ad populum, nec audiendi sunt sequioris aetatis Theologi, qui ipsum Christum istius legis latorem comminiscuntur. Neque enim nefas est hanc argumentandi rationem tribuere Paullo, eâdem cum sit usus in antecedentibus verbis: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, itemque in Epistola ad Ebraeos c. I, 1. atque etiam alibi.

Erunt autem fortasse, qui putent, nos, institutae super loco Gal. III, 20. disputationis immemores, hactenus a consilio nostro aliena disputasse exquirendis iis, quae superiore Paulli disputatione continebantur. Qui quidem desinent mirari, ubi viderint, his

apertis etiam hujus loci sensum aperiri, quem arbitror assecuturos fuisse plerosque, si magis a superioribus, quam ab ipsis loci verbis, auxilia petiissent. Quam ob rem in hujus ipsius loci disputatione breviores poterimus esse, cum occupata sint, quae ad intelligendum necessaria viderentur.

Quid est igitur: Ο ΔΕ ΜΕΣΙΤΗΣ ΕΝΟΣ ΟΥΚ ΕΣΤΙΝ? quae cum ambigua sint: de subjecto, quod dicunt, pariter atque de attributo disceptatur. De *illo* sunt, qui τὸν μεσίτην infinite dictum arbitrentur de quocumque cujus interventu fiat aliquid; alii contra, certum quendam, sive Mosen sive Christum, intelligant. Illi, vereor, ut recte videant; quod si enim infinite loqui voluisset Paullus, nescio an articulum Ο μεσίτης adhibere potuisset. At si demus hoc quoque, magis tamen consentaneum est, ubi subjectum, idque definitum, praecesserit, idem cum articulo repetitum, ad illud, quod praecesserat, referri; ex quo consequitur, quoniam μεσίτης v. 19. non erat universe omnis is, qui parasset aliquid, sed *Moses*, quo usus esset Deus in lege Israelitis ferenda, ΤΟΝ μεσιτην hic quoque de eodem intelligi debere. Nec in alteram sententiam, opinor, incidissent, nisi se putassent commodiori sensu invitari. Sumebant videlicet hoc, Paullum persequi imaginem et naturam internun-

Digitized by Google

cii cujusdam, aut sequestri, aut alius cujusque, cujus interventu dissentientes concilientur aut consentiant in unum plures quocunque modo. Quod Paullum voluisse, quo modo docebunt, nisi sic, ut ita dicant bene verba subobscura intelligi posse? Sed possunt etiam aliter, sine tali vi articulo illata; quod statim aperietur, ut de *altero* h. e. d. de attributo viderimus, quod est in verbis: ἑνὸς οὐκ ἔστιν, nempe μεσίτης. Ubi cum ellipsin animadverterint, quid sit supplendum? magna exstitit controversia. Enimvero quid opus est concertatione, cum Paulli ipsius auctoritatem sequimur? qui quidem ΕΝΟΣ ante mentionem fecerat v. 16, nempe non ἑνὸς μέρους aut νόμου aut alius unius, sed ΣΠΕΡΜΑΤΟΣ, qui idem v. 19, quocum est noster proxime conjunctus, professus erat, legem Mosaicam non esse vim auctoritatemque habituram nisi ad tempus, quo venturum esset το ΣΠΕΡΜΑ ᾧ ἐπήγγελται. Hoc igitur supplendum esse maxime in promtu est, quod recte vidit *Rosenmüllerus* V. V. c) et ante eum vix unus et alter. Istud autem ἑνὸς οὐκ ἔστιν haud dubie est: *ad unum semen* h. e. ad unum gen[illegible] liberorum Abrahami, *non pertinet Moses;* Judaeos qui-

c) Schol. in N. T. ad h. l. et prolusione singulari, quam videre non contigit nobis.

dem, tamquam legi Mosaicae addictos, conciliavit Deo, conventaque hunc inter et Jsraelitarum populum paravit; sed quoad gentes nihil suscepit negotii, nec iis edidit legem, qua populi Dei dignitatem et jura consequerentur, ex quo fit, ut gentes, quibus tamen Abrahamo promissa pariter sunt destinata, Mosis et legis ab eo latae interventu gratiosae esse Deo non possint. Formulae: οὐκ εἶναι τινος eadem est fere ratio, quae illius v. 12: ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, *lex non insistit fidei* sed factis, fidei nullam rationem habet, aut istorum v. 9 et 10: ἐκ πίστεως, ἐξ ἔργων νόμου εἶναι *fidei aut praeceptis a lege operam dare.* Nec dubitet isto de sensu, qui cogitet, v. 7. 8. 9. 16 et 29. veri *seminis Abrahami* nomine ornari *gentes*, omninoque *fide conspicuos*, uno verbo *Christianos*.

Iam de altero enunciato: **Ο ΔΕ ΘΕΟΣ ΕΙΣ ΕΣΤΙ**, si secundum haec quae diximus decernendum videatur, *primum*, post illa: *Ad unum genus Abrahamidarum non pertinet Moses*, quam aliam exspectes sententiam, nisi hanc: *Deus autem vel ad hoc genus pertinet*, omnium est, non modo propriorum Abrahami liberorum, sed etiam impropriorum, non unius Judaicae gentis, sed gentium omnium, Deus? Nec id abhorret a verbis. Nam quemadmodum post verba:

ὁ δὲ μεσίτης, in iis quae ſequuntur: ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ſupplendum erat μεσίτης; ſic pariter ex his: ὁ δὲ Θεός, in ſequentibus εἷς ἐστιν, ſupplendum eſt Θεός. Ἕνα Θεὸν eſſe pro communi pluribus Deo, aeque conſtat ex ſimilibus Paulli locis 1 Tim. II, 5. Epheſ. IV, 5. 6, ceteriſque ſtatim commemorandis, ac: formulam *Deum alicujus eſſe* ſignificationem habere Dei, qui ſit alicui propitius; id quod habet eandem vim, quae erat in verbo εὐλογεῖν, quo uſus erat Deus in promiſſis ſuperioribus v. 8. Quid *porro* magis conſentaneum eſt ſimilibus dictis, veluti Rom. III, 29 ſq. *Num Judaeorum Deus eſt tantum, nonne et gentium? Certe gentium quoque; ſi quidem unus eſt Deus,* (εἷς ὁ Θεὸς) *qui tamquam juſtos tractet circumciſos, propter fidem, et circumciſionis expertes, ejuſdem fidei cauſſa;* aut aliis verbis c. X, 12: *Nihil eſt Judaeum inter et profanum* (Ἕλληνα) *diſcriminis; nam idem ille Dominus omnium eſt, liberalis in omnes qui eum venerantur;* venerari autem complectitur fidem, ut Paullus ipſe ait v. 14.

Vidimus igitur, ſenſum, quem obſcuro loco tribuimus, et verbis accommodatum eſſe et vero etiam neceſſarium, ſi orationis Paullinae univerſae vim velimus ſequi. Reliquum eſt, ut paucis oſtendamus, hoc admiſſo, bene apta eſſe et conjuncta omnia

quibus contra dicentes refellat Paullus in hoc loco v. 19 et 20, planiffimeque ejus confilio refpondere. Si nulla re opus eft, — ita poterat occurri Paullo — nifi fide, ut quis numeretur in Abrahami liberis, cumque eoque gratiofus fit Deo: quid eft cauffae, cur Deus rogaverit legem Mofaicam, quae videtur monftrare viam, qua Dei benivolentiam confequamur? Non hoc confilio, inquit Paullus, data eft, fed ad coercendos Jfraelitarum mores, nec nifi ad tempus usque, quo exftiturum effet femen, cui promiffa fint data h. e. Chriftiani, qui ipfi funt verum femen Abrahami, nec nifi per angelos internunciumque, quorum auctoritas nequaquam poteft cum filii ipfius Dei excellentia comparari. Atqui ifte internuncius, Mofes, unius Jfraeliticae gentis five eorum liberorum Abrahami cauffa erat conftitutus, qui proprie effent tales f. ab eo generati, propter alterum genus h. e. gentium f. fide fimilium Abrahami nullo modo. Verumtamen horum quoque Deus Deus eft, iique funt proprie benivolentiam ejus confecuturi, vi promiffionis Abrahamiticae, qua Deus fe edixit fortunaturum cum Abrahamo gentes quafcunque. Itaque cum his non fit profpectum per Mofen, alia eft ad falutem via, alio opus internuncio, Chrifto; omninoque, cum Deus Judaeis et gentibus aeque propitius effe velit, fi quidem fide ftudeant

Digitized by Google

probari Deo: intelligitur, et carere nos hodie legibus Mosaicis posse, et legem eam non hactenus datam esse, ut esset verum salutis praesidium. Id quod latius persequitur v. 21 seq.

Hunc *unum*, hoc est omnibus hominibus communem *Deum*, quem Paullus nostro in loco omnibus colendum proponit, atque *unum*, Deum inter et homines μεσίτην, *Jesum Christum*, teneamus igitur, *Humanissimi commilitones*, atque ita statuamus, non nisi ab hoc petendam esse salutem, eum autem non negligentem esse cujusquam, sed cuique ad omnis generis benivolentiam paratissimum. Nec profecto Christiano homine dignum est restaurare errorem Judaeorum a Paullo toties castigatum, qui se unum jactabant Dei populum seque solos gratiosos Deo, et quasi postliminio revocare errorem similem, qui omnes sive sententiis sive conditione externa a nobis diversos, item a Dei amore excludit. Hujus amoris veluti pignus habemus mortem et cruciatus Domini nostri JESU CHRISTI, *qui se ipse dedit*, ut ait Paullus, *redemtionis pretium pro Omnibus*. Cujus et mortui pro nobis et ad vitam revocati memoriam dum celebramus hoc ipso tempore, agamus hoc in primis, ut tantum beneficium nobis in primis destinatum diligenter et grata mente cogitemus

Digitized by Google

fideique pietate amplectamur; ſed nec obliviſcamur rogare Deum, e quo, ut iterum Paulli verbis utamur (Epheſ. III, 15), *omnis familia in coelis atque terris nuncupatur*, ut propagari quam latiſſime jubeat terminos regni caeleſtis ſui, omnesque ad unum homines, quos gratuito complectitur amore ſuo, vere ſuſcepta diſciplina JESU CHRISTI, hujus benivolentiae fructum capere uberrimum.

P. P. in academia Halenſi pridie ſolemnitat. Paſchal. d. XXIII Aprilis A. C. MDCCLXXXXI.

Digitized by Google

VI.

DE

UNA DEI IN CAELIS TERRISQUE FAMILIA

PROLUSIO

AD ILLUSTRANDUM LOCUM

Ephes. III, 15,

ET ALIOS EPISTOLARUM

PAULLINARUM.

SIMUL ILLUSTRATUR HYMNUS

Lucae II, 14.

Digitized by Google

Digitized by Google

In recensendo modo, quo nativitas recens nati JESV CHRISTI decorata fuit, Lucas (Evang. cap. II, 14.) caeleste angelorum agmen quoque commemorat pastorum exspectationem admirationemque nobilissimo isto carmine adjuvisse:

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ
Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη
Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

Ita exoptata visa est illius temporis felicitas, ut non solum homines exultarent gaudio, sed vel ipsi caelites in hujus laetitiae communionem venisse putarentur. Sed istud carmen quoniam occasionem dedit variis interpretum et discrepantibus sententiis, quas *Wolfii* in *Curis* aliorumque diligentia congessit, non piget in principio hujus disputationis pauca obiter afferre, si quid facere ad illius illustrationem possint. Ac primum

Digitized by Google

quidem asseverantium potius haec verba sunt quam optantium, omninoque ἐστι rectius oportet suppleri, ut in loco Petri ep. I. c. IV, 11, quam ἔστω, id quod bene docuit *Io. Guil. Kraftius* d). Duas deinde partes sive versus hoc carmen complectitur, non tres, ut plerique putavere, aut, si vel tres tibi magis placeant versus, duas tantum sententias, sic ut, quae tertia videatur, corollarium potius sit vel interpretatio alterius, qui praecesserat, versus. Quod ut intelligatur, necesse est ut ipsum in sensum loci lectionemque inquiramus. Primus quidem versus laudes Dei aut gloriam ejus ab adventu Christi profectam celebrat; alter pacem sive salutem quae in terra ex ista re exstiterit; hoc unum igitur restat non satis perspicuum quod verbis: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία continetur. Quod quidem plerique de restituta hominibus benivolentia Dei accipiunt, ut Θεοῦ intelligatur εὐδοκία, qua homines complecteretur, saepe in sacris laudata scripturis. Durum, nostra quidem sententia, supplementum! Quo enim jure ac sine perspicuitatis periculo omitti potuisset significatio *Dei* aut *divinae* benivolentiae? absolutae videlicet erant Dei laudes prima carminis sententia, et in altera sequente carmen progressum erat ad hominum felicitatem, ut potius de horum mutua benivolentia cogitari

d) Obss. SS. Fasc. V. Obs. V. §. 11.

Digitized by Google

debeat quam de Dei propitia voluntate. Sed ne hoc quidem placet, id est quaedam quasi descriptio virtutis aut felicitatis humano generi restitutae, quamquam id visum est interpretibus quam plurimis. Nam *primum* sic tres statuendae essent carminis sententiae, quod etiam plerisque placuit, nobis non item. Vix enim abesse posset το καὶ, ante εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, quod erat in altera sententia recte praepositum, ubi minus desideraretur quam in nostra; nec ipse Lucas in loco cap. XIX, 38, quo hoc ipsum carmen, aut paene idem illud, repetit, quidquam praeter duas sententias habet. Quid est *etiam*, cur eadem res aliis verbis repetita putetur in carmine ita brevi? Eadem sunt certe haec: *pax inter homines*, et *eorum mutua benivolentia.* Quod videntur cognovisse ii, qui his in postremis verbis explicationem illorum de pace aut felicitate hominibus restituta viderunt, sive illam de concordia inter homines *(dem guten Einverständniſs)*, sive, ut *Heumannus*, de beatitatis quodam sensu *(dem Wohlbehagen)* interpretarentur. Quae vereor ut consentientem habeant loquendi consuetudinem, idoneisque firmari testimoniis possint. Εὐδοκίαν equidem, ut Hebraeorum רָצוֹן, non ignoro esse id, quod alicui videatur sive probetur, ac, si vulgaris esset lectio tenenda, sane praeferrem modum, quo nuper usus est in vertendo *Boltenius*,

Digitized by Google

V. V.: *nunc tenent homines quod optavere*; deinde propitiam exprimit alicujus voluntatem f. erga alios benivolentiam, praefertim ubi cum ב conftructum occurrit; fed pro concordia dictum aut fuavitatis aliquo fenfu, numquam reperias verbum, certe nihil in citatis de illa fignificatione locis habeas, cur de benivolentia accipi poffe neges. Quidquid fit, frigidumne videatur, in carmine interpretationem addere verbis? Ac, fi quis dixerit, Lucam ipfum hanc εὐδοκίαν ἐν ἀνθρώποις addidiffe ad declarandam *in terris pacem*, non is eft Lucas qui foleat talia interpretandi cauffa adfpergere. Sejunctis igitur his ac praetermiffis aliis, quibus multo etiam majori, haud fcio an vana, fedulitate mederi verborum obfcuritati voluerunt, animus non haefitans fertur ad amplectendam lectionem veterum latinorum interpretum, qui, cum reperiffent in codicibus fuis: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίΑΣ, reddiderunt, quamquam non fatis perfpicue: *hominibus bonae voluntatis.* Quam fcripturam non, ut fieri a plerifque folet, contemnendam puto. Nam quod omnium graecorum auctoritatem dicunt in vulgari lectione magno confenfu confpirare, primum antiquiffimi codices, Alexandrinus et Cantabrigienfis, excipiendi funt, qui latinam lectionem tuentur, illi deinde, quos latinus interpres fequebatur, pariter erant graeci; utri igitur, iine qui occiden-

Digitized by Google

talem, an qui orientalem recensionem exhibent, magis hac in quaestione audiendi sint? id nimirum oportet requiri, praesertim cum interpretatio latina graecos omnes, quos habemus, codices vetustate superet e). Idcirco

e) Hanc lectionem *Alex. Moro*, *Hammondo*, *Rich. Simoni Millioque* (Prolegom. §. 675.) probatam, video etiam placuisse *S. F. N. Moro* nostro, quamquam hic fluctuat. Contra quem nuper dixit, quem semper honoris caussa appello, *Eichhornius* (*Allgem. Bibl. der bibl. Litteratur* Vol. VII. p. 306), cujus mentem nescio an sim satis assecutus. Hic igitur: „recte, inquit, legitur ἐν ἀνθρ. εὐδοκία, sed sunt in verbis „textus archetypi שָׁלוֹם עַל הָאָרֶץ לְאַנְשֵׁי רָצוֹן „postrema illiberaliter conversa per ἀνθρώποις „εὐδοκία pro ἀνθρ. εὐδοκίας, propter ea quod „nec in Hebraico illud רָצוֹן, quo casu positum sit, appareat." Quem hic hebraicum textum intelligat? eumne, e quo Lucas multa, in primis cum Matthaeo et Marco communia, receperit in commentarios suos? Ita Lucas perperam ἐν ἀνθρ. εὐδοκία posuit cum εὐδοκίαΣ ponere debuisset; atque vel sic concederetur, si illum archetypum aequum est vitiosae versioni praeferri, nos, cum legimus ἐν. α. εὐδοκίας, veriorem lectionem, non Lucae quidem, sed archetypi, verumque verborum sensum, tenere. Sed cur Lucam accusemus? Oportet sane veterem latinum interpretem in libris graecis invenisse ἐν α. εὐδοκίας; illum enim, legisse ipsum archetypum textum ex eoque graecum Lucae textum emendasse,

vix quidquam hac in disputatione proficies comparanda testimoniorum auctoritate; videndum est potius, utra lectio alteri praestet bonitate? Atqui, si de commodiore sensu quaeritur, quam alterutra expresserit, antea demonstravimus, quibus difficultatibus vulgaris lectio obnoxia sit, quomodocunque ejus de sensu statuas; quod secus videtur in lectione Latinorum, ut quae verti posset: *nunc regnat in terra pax inter homines gratiosos* (Deo). Namque εὐδοκίαν constat esse *benivolentiam*, eandemque cum ἀγάπη, quibus verbis Paullus promiscue utitur Phil. I, 15 et 17., Ebraeis רָצוֹן; e quo, ut in loco Esaiae c. XLIX, 8, repetito apud Paullum 2 Cor. VI, 2, עֵת רָצוֹן est καιρὸς δεκτὸς et idem illud Psalm. LXIX, 14. καιρὸς εὐδοκίας, sic אַנְשֵׁי רָצוֹן fuint ἄνθρωποι εὐδοκίας aut illi οὓς παραδέχεται Θεὸς Hebr. XII, 6. Iam quem ad modum Christus Esa. XLII, 1. a. Deo dicitur בְּחִירִי רָצְתָה נַפְשִׁי, apud Matthaeum c. XII, 18. ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου, alia forma υἱὸς εὐδοκίας μου, itemque Judaei Rom. XI, 28. κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον (quoad repugnant Christi doctrinae), ἐχθροί, κατὰ

quis credat? Quod si ita est, antiquissimam habemus lectionem in ipso Lucae textu, ut nulla sit caussa, cur Lucam male vertisse archetypi verba statuamus.

Digitized by Google

δὲ τὴν εὐλογὴν (pro benivolentia Dei vers, 5.), ἀγαπητοί: pariter omnes homines ii qui in populo Dei numerantur, inprimisque qui fide Christum amplectuntur, forent ἄνθρωποι εὐδοκίας, homines *gratiosi*, quibus praecipue Deus faveat, aut υἱοὶ Θεοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ut Paullus loquitur Ephes. I, 5, qui et ipse cap. II, 14. Christum appellat *pacem* nostram (qui illam attulit nobis), qui duobus *e populis* (Judaeis et Paganis) *fecit unum*, aut secundum v. 15, *duos in unum novum hominem conjunxit eo, quod pacem conciliavit.* Quae si *Wetstenius* cogitasset, non ineptum dixisset hujus lectionis sensum aut cum illa in terris pace pugnantem. Habet autem haec lectio aliquam commendationem ab obscuritate sive insolentia. Nam cum librarii ἀνθρώπους εὐδοκίας nusquam in Scripturis SS. commemoratos reperissent, animis autem obversaretur εὐδοκία ἔν τινι, aut vox caelestis quae Christum dixisset eum, ἐν ᾧ εὐδόκησε ὁ Θεὸς Matth. III, 17: proclive erat existimare, delendum esse το Σ in verbo εὐδοκίας, atque ἐν ἀνθρώποις cum εὐδοκίᾳ ita conjungendum, ut ἐν ἀνθρώποις ab εὐδοκίας vocabulo penderet; contra intelligi nullo modo potest, quae caussa fuerit illam satis obviam εὐδοκίαν ἐν ἀνθρ. convertendi in ἀνθρώπους εὐδοκίας. Itaque non improbabilis videatur haec Latinorum scriptura, cum sit ad intelligendum dif-

Digitized by Google

ficilior minusque frequentata f). Sed haec veluti in transcursu; nam pertinaciter nolu-

f) Cum haec edidissem, occurit mihi vir doctus, nescio quis? (in der *Allgemeinen Literatur-Zeitung* A. MDCCCI. No. 213. p. 191) qui hanc lectionem probare dubitat. Cujus etsi benivolentiam agnosco ingeniique subtilitatem, non tamen omnino, istam caussam considerando repetens, nihil reperio, quod ad eam tuendam facere posse videatur. Primum ea ipsa verborum insolentia, quae me movit, ut lectionem librorum latinorum praeferrem, fecit, ut is vulgatam putaret anteponendam. Nonne, inquit, ab hoc ipso loco, ubi popularis omnino sermo exspectandus est, aliena sit haec verbi insolentia? In quo non invitus concedo, eum esse debuisse hymnum, qui vel a pastoribus facile intelligeretur, et vero etiam, quod Lucae narratio cap. XVIIII, 37. 38. prodit, ita tritum vel agrestibus plebis auribus fuisse, ut nec his pastoribus insolentia aut obscura verba videri potuerint. Quo modo autem haec לאנשי רצון vel his obscura fuissent, si ea cum עת רצון et similibus formis compararent ad easque exigerent? At, quo magis inter veteres Christianos obsolevisset aut interiisset notitia linguae hebraicae, hoc insolentior hic loquendi modus, qui est in ἀνθρώποις εὐδοκίας, debebat videri iis, qui describerent codices Novi Testamenti, ut pro verbo non familiari faciliorem lectionem substituerent. — Sed minus est naturae hymni hebraici consentaneum, unum versiculum una sen-

mus contendere cum iis, quibus vulgaris lectio melior videatur.

Deducit autem nos ille angelorum hominumque concentus, cujus mentionem Lu-

tentia concludere, alterum autem reddere bimembrem. (wenn das erste Glied aus einer Zeile, das zweyte aber aus einer Doppelzeile bestünde)! Quasi omnes istorum hymnorum partes aut membra ita dissecta essent et finibus suis circumscripta, ut ad numerum accurate referri, et, ut ita dicam, distincte numerari possent! Innumerabilia certe sunt exempla trimembrium sententiarum sive divisarum in tres partes vel versiculos; saepe etiam abesse posset tertius, nec tamen plenitudine sensus carerent ceteri, isque tertius, plane ut nostro in loco, non integram continet aut plenam per se sententiam, sed additamentum aliquod, ejus, qui praecesserat, versiculi vim reddens pleniorem, veluti in illo Psalm. XLII, 12:

Quid trepidas anima mea, meque ipsa perturbas?
Spera in Deum, nam eum adhuc aliquando celebrabo.

Vides sententiam bimembrem eamque satis plenam; sed tamen addit Davides:

Sospitatorem meum, Deumque meum

ut illum, cui confideret, accuratius et nominatim describeret. — Neque hic opus est,

Digitized by Google

cas fecit, et quasi communicatio voluptatis a caelestibus naturis ex hominum felicitate perceptae, in eos Novi Test. locos, qui de una Dei familia ex utroque genere conflata loquuntur; qualis est ille Paulli Apostoli Ephes. III, 15. in quo Deum invocat, *e quo omnis familia* (πατρια) *in caelis terrisque nuncupata sit*. Quem quidem conferendis ejusdem argumenti aliis, paullisper illustrabimus, ut, et qualis sit illa Dei familia intelligi, et aliena horum locorum interpretatio convinci possit.

Omnino, ut in omni religione, sic in libris sacris frequentatus est loquendi modus, quo Deus Pater hujus universi omniumque, quae umquam sunt, rerum dicitur; quod quidem

ut confugiamus ad illud *Wetstenii* decretum: *in subito et magno gaudio orationem esse solere abruptam;* quod est utcunque excusantium, sed eam, quam probamus, lectionem nullo modo convellit; neque enim omnino insolens ipsa quadam in lingua, dici debet loquendi modus, si per linguae analogiam defendi potest, etiamsi ipsa ejus forma non frequentetur, et insolens lectoribus videri queat. — Denique nec admodum desiderem id quod Hebraeorum grammatici suffixum dicunt, ut pro באנשי רצון plenius dici debuisset באנשי רצנו. Quoties enim abest illud, cum facile suppleri possit?

Digitized by Google

Patris nomen et omnem rerum originem refert ad eum, et omnium curam moderationemque complectitur. Sed illa, quae continentur ejus sapientissimo consilio ac gubernantur, non eodem nomine veniunt in Sacris Scripturis. Plerumque quidem *caeli terraeque* nomen hanc rerum continet universitatem; alias etiam, habita maxime ratione naturarum, quae rationis participes sunt, *angelorum hominumque* nomen frequentatur; ita quidem, ut uterque dicendi modus paene in proverbii consuetudinem venerit, omninoque caelum et terra, angeli hominesque, pro *omnibus* adhibeantur, veluti in Paulli loco 1 Cor. III, 9, de quo diximus alias g). Solent enim Hebraei quidquid naturarum intelligentium praeter homines existit, *angelorum* nomine appellare, propter ea quod, sicuti omnes hujus universi partes hominum ad usum conditae commodisque eorum servientes ac Dei voluntatem perficientes putabantur, Psalm. CIV, 4, ita istae caelestes animae ministrare videbantur hominibus, Ebr. II, 14. Similis opinio angelos in caelo, homines in terra collocavit, hos tamen non semper conclusos terreno domicilio, sed aliquando in caelum transferendos et tamquam in caelestem patriam, unde sint orti, remigraturos. Quo

g) Opusculorum Tomo II. p. 144.

factum eſt, ut, qui iſtam jam patriam mortis beneficio attigerint, non inter terrae incolas, ſed inter caelites referantur, unde tertium quoddam nomen, quod omnia Deo ſubdita continet, naſcebatur, aut nova *caeli terraeque* ſignificatio, quae omnes comprehendebat, eaſque intelligentes, naturas, quae quidem, ut pietate in Deum, ſic communi felicitate pares eſſent. Nec dubitant ſacri ſcriptores omnes hoc pietatis beatitatiſque vinculo conjunctos, angelos pariter ac homines, *filios Dei* appellare [h]), ejuſdem rei publicae cives, Phil. II, 20, eandem ad urbem pertinentes, Hebr. XII, 22. coll. c. XI, 10, eidemque familiae divinae adſcriptos, Epheſ. III, 15. Hoc igitur tripartitum genus eorum omnium, quae ſunt imperio Dei ſubjecta, curaeque ejus paternae commendatiſſima, ſi recte teneatur, hoc eſt, ſi accurate diſcernantur naturae univerſae, naturae rationis participes, naturae denique vera pietate addictae Deo, itemque ſi *caeli terraeque* nomen, quo pertineat et quod horum generum ſignificet, diligenter requiratur: multorum ſacrae Scripturae locorum ſenſus recludetur ac reperietur exitus difficultatum, quae interpretes in eorum ſenſu definiendo tranſverſos egere.

h) Vide Opuſcul. noſtra l. c. pag. 339 ſq.

Digitized by Google

Horum autem locorum, e quibus ista hausimus, clarus aliquis et sententiarum ubertate plenus est ille ad Hebraeos cap. XII, 22 seq. Προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει, καὶ πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, καὶ μυριάσιν ἀγγέλων, πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων, ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανοῖς, καὶ κριτῇ Θεῷ πάντων, καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων, καὶ διαθήκης νέας μεσίτῃ Ἰησοῦ, καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ, κρεῖττον λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ. *Accessistis*, inquit Paullus, *ad Sionem montem* (imaginem sedis ac fontis, e quo laeta ét salubris Christi doctrina olim profectura esset, Psalm. LXVIII, 17, CXXXII, 13. 14, easque recreatura hos, quos lex Mosaica in Sina monte rogata perterruisset), *et ad urbem Dei immortalis*, *Hierosolymam caelestem* (sic enim appellat coetum omnium vere sanctorum in caelis, longe illustriorem eo, qui Deum Hierosolymae, quae et ipsa olim urbs magni illius regis, Dei, dicta esset Matth. V, 35, coleret, cujus loco nunc superior Hierosolyma tamquam mater Christianorum agnoscenda esset, (Gal. IV, 26), *itemque ad angelorum myriadas*, *celebrationem* (πανήγυριν) *et coetum primorum in caelis conscriptorum*, *et ad judicem omnium Deum*, *et ad proborum*, *qui jam ad metam pertigere*, *animas*, *ad Jesum* denique, *qui novum foedus sanxit piaculo sanguinis sui*, *magis fausta postulantis quam Abelis*

Digitized by Google

sanguis efflagitasset. Cujus loci illustrandi caussa pauca placet addere. Nempe primum verbum πανηγύρει non putamus conjungendum esse cum antecedentibus μυριάσιν ἀγγέλων, nisi velis cum Origene legere μυριάδΩΝ ἀγγέλων πανηγύρει, quod veterum codicum aut versionum auctoritatem nullam habet; difficile certe sit hanc conjunctionem cum legibus grammaticis conciliare, quidquid etiam *Raphelius* tentaverit [i]). Neque ejus aliorumque auctoritate movemur, ut illo verbo πανηγύρει non statuamus initium factum esse novi enunciati, quod continente ordine cum sequentibus progrediatur. Nam etiamsi tum, si το καὶ, ceteris omnibus sententiis praepositum, ante πανηγύρει desiderari non debere videatur, recte quidem illud omissum fuerit, si verba πανηγύρει et quae sequuntur, in appositione, ut cum Grammaticis loquar, posita sint, atque ista πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων declarandi caussa sive descriptionis instar adjecta; quod quidem nobis videtur. Quidni enim angeli primi aut prius inter coelites numerati dicantur, quam homines, qui longe post eos in beatorum sedem tamquam adscriptitii pervenerunt? plane ut Christus Col. I, 18. πρωτότοκος ἐκ τῶν

i) Annotationum in N. T. ex Herodoto p. 639 seq.

Digitized by Google

νεκρῶν, aut 1 Cor. XV, 20. ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων dicitur, propter ea quod ille prior redierit ad vitam, posthaec demum Christiani; sic enim ipse Paullus ibi v. 23. illud interpretatur. Quare non dubitamus illa omnia sic transferre latine: *et ad infinitam copiam angelorum, celebrationem videlicet ac coetum eorum, qui priores*, tamquam in albo s. publicis tabulis, quae civium alicujus urbis nomina continerent, *in caelis adscripti fuere;* utimur autem *celebrationis* vocabulo pro πανηγύρει sensu eodem, quo Cicero k) *coetus* (ἐκκλησίας) *et celebrationes* hominum, tamquam synonyma, conjunxit; quo verbo nullum est aliud illi alteri accommodatius. *Deinde* eum Deum κριτὴν πάντων nuncupat, perspicuum est, *judicem* mitiori et quasi fausto sensu dictum esse, fere ut cap. X, 30. et 2 Timoth. 4, 8, ut non ille iratus sive severus judex vel legislator cogitari debeat, cujus conspectu in Sina monte vel Moses contremuisset, v. 21. *Tum* πνεύματα δικαίων τετελειωμένων quae sint, obscurum non esse potest per ipsa verba alias etiam in hac epistola usurpata. Τελειοῦσθαι proprium est eorum qui pervenerunt ad metam propositumque consecuti sunt praemium, ut Phil. III, 12; quo sensu Jesus Hebr. II, 10. dicebatur τετελειωμένος s. τελειωθεὶς (cap. V,

k) Offic. I, 4.

9.) hoc est, ut v. 9, ἐστεφανωμένον, quem Deus ad illustriorem conditionem evexisset (εἰς δόξαν ἄγαγε). Hinc πν. δικ. τετελειωμένα sunt probi omnes, qui excesserunt e vita et beatorum ad sedem evolarunt. Nec est quod quis haereat in ceteris quae nostro in loco sequuntur. Διαθήκης νέας μεσίτης καὶ αἷμα ῥαντισμοῦ, (in quibus facile ἓν διὰ δυοῖν agnoscas) Christus est, qui novum istud institutum aut, si mavis, foedus, explicatum cap. VIII, 8 seq., sanxit sanguine quidem suo, non accusante homines, ut Abelis sanguis Genes. IV, 10 dicebatur *clamare* i. e. Deum ad ulciscendam caedem provocare, sed expiante, et *laetiora* (κρείττονα cap. VI, 9.) s. misericordiam hominibus expetente. Sed illam exoptatissimam rem latius persequi, alienum est ab instituto nostro; veniamus ad alia.

Est nimirum ille locus sedes quasi et fons istius doctrinae Paullo maxime familiaris, quae omnes Dei veros unaque in eum pietate conjunctos cultores, in caelis terrisque una consociatione copulatos, unoque coetu s. familia comprehensos profitetur. Quem si quis locum, tamquam ducem, sequatur, aperientur alii complures, qui subobscuri quidem sunt, ad quorum intelligentiam tamen, hac semel posita doctrina, facilior aditus patet. Cujus generis est ille

Digitized by Google

Paulli ad Ephesios cap. I, 9. 10, quem ita transferendum putamus: *Deus apud se decrevit, se suo* (vel: *definito*) *tempore omnia, sive caelo sive terra continerentur, uno sub capite, Christo videlicet, conjuncturum.* Ubi quidem sumere licebit, quod multi docuerunt, ἀνακεφαλαιοῦσθαι etiam de conjunctione uno sub capite dici; eandem certe rem Paulli animo obversatam esse simillimus ejusdem capitis locus v. 21. 22. probat, in quo Deum omnia *subjecisse* pedibus Christi eumque *caput* omnium constituisse profitetur. Quo quidem loco et similibus permotus non dubitatem hanc vim verbo ἀνακεφαλαιοῦσθαι tribuere, etiamsi ea alias Graecorum testimoniis firmari non posset. Amat enim Paullus singularia verba aut insolentem eorum significationem, si quidem apta imagini, quam animo informaverat, viderentur, nec, quo sensu talia dixerit, incertos lectores reliquit, ubi, quo sensu accepisset, per contextum aut locorum aliorum similitudinem declarasset. Difficilius est aut visum est dictu, quaenam sint illa *in caelis terrisque*, quae Christo, tamquam capiti, subjecta profitetur. Nobis quidem nihil dilucidius videtur hoc, quod illis verbis naturas intelligentes, easque sanctas, universas complexus fuerit, sive verba ipsa contueamur, sensu eo quo apud Paullum in hac maxime epistola frequentatur, sive locos, qui sunt ejusdem ar-

Digitized by Google

gumenti, consulamus. Namque *caelum* aut *loca caelestia* (ἐπουράνιοι τόποι, τὰ ὕψιστα) semper sunt proprie dicta de propria sede ac domicilio beatorum, ut cap. II, 6 et 20: *collocavit nos cum Christo in caelis*, cap. III, 10. I, 3. Col. III, 1—4. Phil. III, 20. Quod nomen *caelorum* si a *terra* disjungitur, eos, qui caelo tribuuntur, necesse est omnes intelligi, qui in loco Hebr. XII, quem Paullinae ea de re sententiae basin esse diximus et fontem, inter caelites numerati reperiuntur, hoc est et angelos et animas beatorum; quamquam non negamus, non semper haec duo beatorum genera in quoque loco conjunctim posita esse, sed pro diversitate consilii verborumque Paulli unum alterumve. In loco igitur Ephes. I, 21. ubi Christus in caelum sublatus, positus dicitur ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, quis alius existimetur, quam Dominus omnium, vel praestantissimarum naturarum, quas caelum ac terra comprehendat, h. e. angelorum hominumque. Nec aliter quam de angelis intelligi potest locus c. III, 10, ubi admirabilis *sapientia Dei innotuisse* perhibetur *per Ecclesiam* ταῖς ἀρχαῖς κ. ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις; qua de sententia hoc minus dubitari fas est, cum eadem de re Petrus epist. I, c. I, 12, audeat

Digitized by Google

dicere, ejus cognoſcendae vel *angelos* cupidos fuiſſe. Atque hic ipſe Petrus c. III, 22. diſerte id, quod Paullus de ſubjectis Christo ἐξουσίαις κ. δυνάμεσι pronunciaverat, ſimillimo in orationis contextu, ad angelos refert, cum Chriſtum *abiiſſe in caelum* ait *Deique ad dextram conſediſſe* ſic, ut *angeli et poteſtates* ejus imperio ſubditi fuerint. Praetermittimus clariſſima decreta Phil. II, 9—11. et Col. I, 16 ſeq. de quibus poſt alius commodior erit dicendi locus.

Redire enim oportet ad locum qui nunc praeſens eſt in manibus, in quo qui veterem nobiſque probatam ſententiam deſeruere, de iis, quae Paullus *in caelis terriſque* dicit eſſe, ſumma diſſenſione certant. Qui quidem, ut illam tot ſimilibus locis firmatam dimitterent, duobus maxime argumentis inducti fuerunt. Primum enim negant intelligere ſe poſſe, quo modo per Chriſtum, inprimiſque per ea, quae ſuſceperat, adverſa, angeli quoque cum hominibus conciliati fuerint, multo etiam minus, qui Deus Col. I, 20. dicatur, quaecunque in terra, quaeque in caelo verſentur, ſi quidem hi angeli eſſe putentur, *ſecum* conciliaſſe, idque ſic, ut *per ſanguinem* a Chriſto in cruce profuſum hanc pacem fecerit. At noſtro quidem in loco nihil tale reperitur, quod poſſit offendere; nulla enim de expiatione loquitur,

Digitized by Google

ſed de conjunctis in unam familiam uno ſub capite, Chriſto; nec magis abhorret dicere: angelos, quibus homines propter delicta non poterant non diſplicere, Chriſti merito cum iiſdem in gratiam rediiſſe, quam: angelos gaudere de reditu cujuslibet peccatoris ad meliorem mentem; quae ſunt ipſius Chriſti verba Lucae XV, 10. Difficilior videatur alter locus in epiſtola ad Coloſſenſes, in quo ſint, quae in angelos nullo modo cadant. Sed *primum* haud ſcio an errent in eo, quod verba εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ conjungant cum iis: εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν οὐρανοῖς, qua verborum conjunctione efficiatur, haec ſ. hos omnes *per Chriſti ſanguinem* conciliatos Deo eſſe. Admodum equidem dubito an graece dici poſſit: εἰρηνοποιεῖν ἄλλον καὶ ἄλλον; certe magis conſentaneum eſt, εἴτε τὰ κ. τ. λ. referri ad καταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν, ut ſenſus ſit: Deum modum quendam inveniſſe, quo fieret, ut pari amore homines quam caelites complecti poſſet, iſtumque modum in eo cerni, quod Chriſtus ſanguine profuſo ſuo illam pacem reſtituerit, Deum inter videlicet et eos qui illa pace orbati adhuc fuiſſent. Neque enim haec, idque eſt *alterum* quod hic teneri omnino debet, ampliſſimo ſenſu accipienda ſunt, ſed pro rei natura. Nam quem ad modum *omnia* (τὰ πάντα), etiamſi quis addiderit: *quae caelis terriſque*

Digitized by Google

continentur, consentientibus omnibus, nequaquam omnino omnia sunt, aut complectuntur impios angelos quoque et bestias, rationis expertes; non minus recte quaeritur, quaenam sit hujus *universitatis* amplitudo? et quaenam sint ea, ad quae referatur? id quod non potest judicari, nisi rerum naturam et ea comparaveris, quae sacrae literae de iis doceant, quos expiatos Deo profiteantur. Ad hos igitur solos, ad hos inquam, quos Paullus v. 21. nominat ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, unice referenda sunt quae hic de facta per Christum expiatione leguntur. Recte hoc quidem! dicent qui a nostra ratione dissentiunt, estque hoc illud ipsum, quod impedit, quo minus vel de angelis nostrum intelligamus locum, sed in *caelestibus* et *terrestribus* homines tantum quaeramus. Quibus et ipse assentirer, nisi tot iique perspicui loci, quos antea annumeravimus, cum de Christo omnium Domino loquuntur, etiam angelos ei subditos dicerent; ad quos locos etiam accedunt, quos Paullus habet in epistola ad Hebraeos cap. I, 6 seq. et cap. II, 5 seq., ubi versu quidem octavo diserte addit: cum Christo subjecta sint omnia, *nihil reliquisse Deum quod ei non sit subjectum*, idque in eo orationis contextu, qui perspicuam Christi cum angelis comparationem continet. Quo tamen modo oc-

Digitized by Google

currremus difficultati, quam confeſſi ſumus ex iſto ad Coloſſenſes loco naſci? Nempe πάντα, jam diximus, non ita premi debere, ut omnem verbi amplitudinem includat, nec, quod hic in primis obſervandum videtur, id quod de omnibus dicitur, eodem etiam modo dictum eſſe exiſtimari oportet. Omnes, ut hoc utar, ad homines mortem Paullus Rom. V, 12. penetraſſe profitetur propter ea, quod omnes tamquam peccantes tractentur, ſed Adamum ſua culpa, ceteros aliena, modo igitur admodum diverſo. Eandemne dicendi rationem hic quoque adhibitam putemus? ut omnes caeleſtes terrenaeque naturae, ex quo expiatio, eorum videlicet qui expiari debebant, per Chriſtum facta eſſet, Deo gratioſae reperiantur. Neque enim ad ſcholae ſubtilitatem exigenda ſunt aut ad vivum reſecanda verba Apoſtolorum, qui more humano h. e. populariter loquebantur, non dubitantes, quin lectores expenſuri eſſent et intellecturi omnia e nota ſibi Apoſtolorum diſciplina, tamquam regula cui omnia poſthaec dicta conformarentur. Cum igitur Paullus omnibus in caelis terriſque verſantibus propitium aſſerit Deum, quis dubitaret, ſi rem contuliſſet cum iis quae alias ille ſive literis ſive coram docuiſſet, quin illa infinite dicta finitum quaſi et ipſa rei natura circumſcriptum habeant ſenſum, nec referantur niſi ad intelligentes pietateque in

Deum

Digitized by Google

Deum conſpicuas naturas, ſive numquam hanc neglexiſſent pietatem, ſive ad eam melioremque mentem rediiſſent? Neque licet tricari in ἀποκαταλλάξεως verbo, quod quidem proprie non cadit in angelos, qui numquam impietatis rei facti fuerunt, ſed, ſicuti Paullus multa alia craſſius quaſi et durius dicta frequentat, pro rei natura intelligendum eſt, ſic, ut, quod in illo verbo primarium eſt, notio Dei *propitii*, illius autem cui propitius eſt, *gratioſi*, teneatur in utramque partem, pariterque ad caelites terrarumque incolas, altera autem eaque adjuncta notio *reſtitutae* gratiae benivolentiaeque Dei, ad homines, non item ad angelos, referatur.

Quam autem aliam afferunt rationem, cur negent angelos ſub caelitibus intelligi poſſe, ea multo etiam minus facere ad id quod volunt videtur. Paullo ajunt in epiſtola ad Epheſios ſcribenda propoſitum fuiſſe, non modo commendare gravitatem beneficii, quod iis per Chriſtianam doctrinam obtigiſſet, ſed etiam cavere ne ab iis, qui in Moſaica lege commendanda toti eſſent, perturbarentur. Iſti tamen conſilio non convenienter commemorari factam caelitum mortaliumque conſociationem; longe autem aptius loco noſtro ſubjeciſſe Paullum declarationem conſilii ſui de Judaeis Gentilibusque in unum

Digitized by Google

coetum conjungendis, quam rem, ut alias semper, mysterii nomine complectatur; nec igitur enunciati primarii, quod versu 10, cujus quaeratur sensus, tamquam in arce posuerit, aliam vim intelligi debere, quam quae sit in declaratione subjecta. Quae probabiliter dici, facile agnosco; quo modo autem nostram interpretandi rationem evertant, non statim assequor. Nihil quidem de illo Paulli consilio in hac epistola scribenda contra disputo, sed dabunt mihi vicissim, hujus consilii caussa copiosum esse Paullum in excellentia ac magnitudine Christi confirmanda, idque non in nostra solum epistola sed in iis quoque, quas eodem tempore ad Philippenses et Colossenses scripsit, illamque non tantum ponere in eo, quod, quidquid beneficiorum in Christianos fuerit collatum, Christi caussa concessum a Deo sit, sed urgere vel maxime Christi dominationem, cui omnia, quae in caelis terrisque sint, parere oporteat. Hanc ipsam Christi summam dignitatem, ut in ceteris epistolis Phil. II, 9 seq. Col. I, 15 seq. 19 cet., sic nostro quoque in loco tamquam omnium illorum beneficiorum principium commemorat, e quo Christi imperio ad omnia omnino pertinente ducit illud singulare beneficium, quod Christianis, sive Judaei sint sive de ceteris gentibus homines, idem atque communis Dominus contigerit. Quam quasi

Digitized by Google

transſgreſſionem ab infinito enunciato v. 10. ad aliquam ejus partem v. 11. ſeq., ſatis etiam expreſſam illis verbis v. 11 et 13, *ſub quo* ſ. per quem *et nos* (Judaei) *fauſtam nacti ſumus ſortem* (ἐκληρώθημεν) *et vos* (de gentibus), *admiſſo Evangelio confirmati eſtis Spiritu S.*, cum neglexiſſent quidam interpretes, inciderunt in eam ſententiam, ut exiſtimarent, in his, quae ſequuntur, declarationem eſſe verſus decimi, cum ſit applicatio potius, nec iſta tam late pateant, quam quae verbis, de quibus inter nos diſputatur, comprehenſa ſint. Qua re id quoque efficitur, ut neque verba οἱ μακρὰν et οἱ ἐγγὺς ὄντες cap. II, 13. eadem exprimant quae hic τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς dicuntur, neque ibi v. 15. κτίζεσθαι ἐν Χριστῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον idem ſit prorſus quod ἀνακεφαλαιοῦσθαι in verſu noſtro; quamquam omnino et hoc attributum et illa nomina etiam ac ſimul Judaeos et Gentes complectantur. Idem de μυστηρίῳ dixerim; quod verbum etſi proprium eſt doctrinae Chriſtianae in primiſque a Paullo adhibetur ad ſignificandum decretum de eo quod Judaei Genteſque ejuſdem Chriſti bonorumque ejus participes ſint: tamen, cum illud ipſum decretum in ipſo hoc, quod interpretamur, enunciato ſimul contineatur, non impedit, quo minus Paullus verbum, quod

Digitized by Google

ſpectatim de parte ſoleat dicere, etiam magis univerſe de genere potuerit uſurpare.

Neque vero neceſſe eſt, ut perluſtrata eorum, qui hoc de loco ſecus ſentiunt, decreta accuratius examinemus, quae ſua ſponte concidunt, ſi verum eſt, aliorum locorum cum noſtro ſimilitudinem ad ſenſum eum, quem defendimus, deducere, ac ſi apertum fontem agnoſcimus, e quo omnes difficultates fluxere, quibus inducti ſunt, ut alienam a vetere ſententiam quaererent. Omnes quidem verba *in caelis terriſque*, de quibus certatur, vel proprie accipi volunt vel tropice. Qui *illa* incedunt via, vel Deum homineſque intelligunt, quod miror vel *Moro* probatum fuiſſe, cum haec *in caelis terriſque*, niſi hic, certe ſimilibus in locis, Chriſto ſubjecta dicantur, vel utramque reperiunt, quam Theologorum conſuetudo militantem triumphantemque appellat, Eccleſiam, quae *Bezae* eſt ac *Launaei* opinio, ad veros Dei cultores, qui ante aut poſt Chriſtum vixere, referens utrumque nomen. Qui *tropice* malunt verba interpretari, vel caelum, Chriſtianam, terram, Judaicam putant eſſe Eccleſiam, quod quidem in mentem venerat *Schoettgenio*, vel illo nomine Judaeos, hoc Gentes ceteras, commenticiorum Deorum cultui addictas olim, comprehenſos exiſtimant, quam ſententiam poſt

Lockium exornavit in primis *Ernestius* singulari libello [l]) iterum defendit *Blaschius* [m]), ita tamen, ut, cum *Ernestius* in caelis Judaeos, in terris Christianos de gentibus invenisset, hic vicissim hos in caelo, illos in terra quaereret. *Koppius* denique bene animadvertens haec duo verba numquam de Judaeis barbarisque adhiberi, (nam quae hujus generis e scriptis Prophetarum aut ceteris sacris proferuntur, nequaquam certa hoc de loquendi usu testimonia dici possunt), omnem hanc formulam non dividendam quasi in quasdam partes, sed universe de omnibus hominibus intelligendam esse statuit. Quod facilius ferrem, nisi in similibus, quos citavimus, locis perspicua non modo hominum sed aliarum etiam naturarum facta esset significatio; quae res ceteris quoque opinionibus obstat.

Atque hic commodam nacti opportunitatem illustrandorum illustrium locorum Philipp. II, 9—11 et Coloss. I, 15 seqq., memores ejus quod supra promisimus, tentabimus quoque nostro modo dicere, quid

l) repetito in ejus Opusculis theologicis, Lipsiae 1773. 8. tamquam septima istius collectionis.

m) *Systemat. Commentar über den Brief an die Hebräer.* Part. I, pag. 305. sqq.

Digitized by Google

nobis eorum de ſenſu videatur. In illo quidem Paullus profitetur *Deum evexiſſe pro exantlatis laboribus Chriſtum, eique nomen* h. e. dignitatem *contuliſſe omni alio ſuperius, ut hujus nominis auctoritate omnes caeleſtes et terrenae et infra terram locatae naturae proſtratae adorent eum, omneſque quaſi linguae profiteantur, quod Dominus ſit Jeſus Chriſtus, in Dei Patris honorem.* Habes eadem, paene iisdem verbis, quae in epiſtola ad Epheſios cap. I, 20—22. ceteriſque laudatis locis; quibus, illi praecipue primario ad Hebraeos cap. XII, ſi velles accommodare ſubobſcura iſta loci noſtri: poſſes ἐπουρανίους, *angelos*, ἐπιγείους, *homines adhuc in his terris degentes*, καταχθονίους, *ſanctos jam mortuos* interpretari, mortui enim, in Scripturis etiam, ſubter terram collocati dicuntur, quamquam haec enumeratio nihil eſt aliud, niſi *omnium in univerſum* comprehenſio. Sed obſcurior videtur eſſe et copioſiorem expoſitionem poſtulare alter locus ad Coloſſenſes I, 15—18. In quo mihi quidem exploratum eſt, Paullum non de creatione rerum omnium propria, ſed impropria, hoc eſt reſtauratione omnium Chriſti interventu facta, ſive de Eccleſiae caeleſtis conſtitutione ejuſque finibus quam latiſſime proferendis loqui; nec de natura Chriſti tamquam Dei, ſed tamquam inſtrumenti, quo Deus novum hunc

quasi orbem condidit, proptereaque tamquam Domini orbis hujus universi. Quod nemo, mea quidem sententia, majori cum vi sive subtilitatis, sive doctrinae, sive perspicuitatis asseruit, quam *Leonhardus Joannes Carolus Justius*, Marburgensis, nuper admodum rebus humanis ereptus, maximo sui desiderio relicto omnibus, qui praeclara viri merita de sacrarum literarum interpretatione cognoverunt n). Cujus disputationi quaedam tamen addenda, alia emendanda videntur, in illis maxime loci nostri partibus, quae ad praesentem disputationem de imperii divini civibus pertinent. Sed in quibus ab illo dissentio, posthaec data occasione; nunc, cur omnem locum, quem ad modum ille, de regni divini per Christum facta institutione accipiendum putem, breviter dicam. Sunt nimirum duo fontes, e quibus hauriri istius rei intelligentia potest; unus est in Paulli consilio et universa orationis consecutione, alter in locorum aliorum perspicua similitudine. Qua enim de caussa Colossenses jubet gratias agere Deo v. 12—14., quam quod iste *idoneos reddiderit nos per novam lucem* h. e. doctrinam

n) In den *vermischten Abhandlungen über wichtige Gegenstände der theologischen Gelehrsamkeit*, zweyte Sammlung. Halae 1798. 8. p. 127 sqq. praecipue pag. 166. seq.

Christianam, o) *ut in communionem veniremus felicissimae sortis Sanctorum, atque eripuerit e tenebrarum dominatu transtuleritque in regnum dilectissimi filii sui, per quem redemti simus, id est consecuti remissionem peccatorum?* Eundem Christum, per quem omnia *creata* sint, statim post locum nostrum, v. 18, laudat tamquam *caput corporis, hoc est ecclesiae*, qui sit *princeps, primus e mortuis, ut is inter omnes primas teneret;* v. 19 *in quo omnis quasi plenitudo* (πλήρωμα) *resederit* i. e. ut ait c. II, 3,

o) Referendum videlicet arbitror hoc ἐν τῷ φωτὶ ad illud ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς et quae sequuntur. Illam enim spem potiundae felicitatis appellat Paullus v. 23. ἐλπίδα τοῦ εὐαγγελίου οὗ ἠκούσατε, spem factam *per Evangelium*, plane ut in loco simili Ephes. III, 6 gentes dicit participes factas salutis a Christo promissae (τῆς ἐπαγγελίας ἐν τῷ Χριστῷ) *per Evangelium*, aut 2 Timoth. I, 10 Christum nuncupat φωτίσαντα ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ εὐαγγελίου; quem ad modum Act. XXVI, 18 iisdem omnino, ut in loco nostro, verbis, Paullus Christianos profitetur transiisse *a tenebris ad lucem, et dominatione Satanae ad Deum, sic ut acceperint remissionem peccatorum et sortem inter sanctificatos, fide in Christum*, quam Paullus commendasset. *Justius* l. c. p. 174 non satis bene vertit: *Theilnahme am Licht des Christenthums*, quasi conjungendum esset ἐν τῷ φωτὶ cum μερίδι τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων.

sapientiae intelligentiaeque, e qua (verbis utimur Joannis I, 16: ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ) maxime beneficia accepimus; *per quem ejusque sanguinem*, quod in primis velim e v. 20 sq. teneri, *Deus secum omnia conciliavit, quae in terris caelisque continentur.* Haeccine legentibus potest alia creatio in mentem venire, quam illa *nova*, aut alius orbis, quam *Sanctorum*, a Deo per Christum conditus? Ac de similibus locis obviis in epistola ad Ephesios, nostrae ita simili, ut dubitari non possit, quin Paullus unam ex altera intelligendam voluerit, nunquam *creandi* verbum secus quam tropice usurpatur; ut cap. II, 10: *a Deo facti sumus, creati per Christum Jesum, ad bene facienda* (ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς) *quorum, paravit nos Deus, ut studiosi essemus;* ut cap. III, 9: *omnia creavit Deus per Jesum Christum, ut caelestibus naturis conspicua redderetur varia sapientia Dei,* non, sicut est Rom. I, 20, per creata proprio sensu, sed *per ecclesiam;* ut cap. II, 15 seq. Christus *duas gentes*, Judaeos et paganos, *creando in unum quasi conjunxit novum hominem, pace inter utramque conciliata*, et quae ejusdem generis sequuntur.

His usus loquendi Paullini fundamentis constitui oportet sensum hujus loci ad Colossenses, quem quaerimus. Christus igi-

Digitized by Google

tur dum dicitur v. 15. *imago* f. fimilis *Dei, qui oculis cerni non poteft*, ne naturae quaedam fimilitudo intelligatur, fed fimilis eft Deo hactenus, quod nos lumine accenfo fuo et e tenebrarum regno tranftulerit in regnum fuum verf. 12 et 13; pariter ut *imago Dei* dicitur 2 Cor. IV, 4, propter ea quod *illuftri Evangelio fuo illuxerit nobis*, cum contra *Deus hujus mundi*, Satanas, *occoecaverit mentem profanorum*, ut videre illud lumen nequeant; qua de cauffa v. 6. idem ille Deus, *qui juffit lumen e tenebris elucere, lucem quoque oriri voluit in animis noftris, fic ut praeclara cognitio Dei per Chriftum nobis illuxerit.* Iam cum in noftro fequitur, Chriftum effe *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, *κτίσις* quae poteft effe alia quam univerfitas orbis f. regni caeleftis? *ἡ ἐκκλησία*, ut ait Paullus v. 18, fenfu quidem ampliffimo eo, quem Paullus tradit v. 20, de quo poftea erit dicendi locus. Hujus quidem *κτίσεως* dicitur *πρωτότοκος*, *primus*, vel tempore, quod plerifque placuit, ut *primum e mortui* v. 18. interpretarentur eum, qui prior ceteris ad vitam revocatus effet, vel dignitate; nam fic quoque adhiberi, jamdudum viri docti obfervaverunt. Qui illud praeferunt, fi quidem omnia de propria creatione dicta opinentur, videant quo modo fe e difficultatibus extricentur; dura certe funt et ab ufu loquendi alienif-

Digitized by Google

sima, quae ad sensum utrumque defendendum ac potius probabiliter excusandum excogitata fuere. At si, servato temporis principatu, impropriam creandi significationem, hoc est Christianae doctrinae disciplinaeque constitutionem, teneant, Christum *primum* tempore inter ceteros novi regni cives dicere cum *Justio* (p. 182) possunt hactenus, quod primus esset a Deo edoctus ceterorumque magister, et Christianae rei publicae conditor. Mihi autem veriores videntur ii, qui primogeniti aut primi nomen referunt ad honorem, quo Christus praestitit ceteris omnibus. Etenim, quos dixi Christo temporis principatum hoc πρωτοτόκου nomine asserere, illud a Paullo usurpatum nomen vereor ne angustiori, quam is voluerit, sensu circumscripserint, quod quidem spero me postea demonstraturum, et *dignitatis* Christi significatio multo magis, quam temporis, consentit cum verbis Paulli v. 18, quae Christum *caput* hujus corporis, Ecclesiae videlicet, et inter omnes *primas tenentem* (πρωτεύοντα) appellant; eum igitur rectius πρωτότοκον πάσης κτίσεως, inter omnes regno caelesti adscriptos *primarium* aut *honore* ceteris praestantem dixeris.

Ὅτι, addit Paullus v. 16, ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε

θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι· τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτοῦ ἔκτισται. Haec sunt in primis obscura; horum etiam verborum caussa omnis haec a nobis disputatio instituta est. Quamquam enim id satis obvium est, θρόνους et quae alia nomina sequuntur, abstracta esse pro concretis, ut ajunt, posita, sic, ut θρόνοι sint ἐν θρόνοις καθίζοντες; κυριότητες, κύριοι; ἀρχαὶ, ἄρχοντες; ἐξουσίαι, ἐν ἐξουσίᾳ ὄντες, verbo, varia principum genera, ut Rom. XIII, 1 sqq. Tit. III, 1. 1 Cor. 12, 28 sqq. nec quidquam refert, horum nominum origines investigare, de quibus, qui velit, consulat *Grotium* aliosque ad Eph. I, 21: tamen id maxime sollicitos habuit interpretes eos, qui κτίσιν, quod et nos ipsi professi sumus, improprie accipiendam putarent, quo modo haec et cetera, quae hic a Christo creata dicerentur, detractis tropis, deberent intelligi? Equidem non diffiteor, quidquid hic tentatum fuerit, de magistratibus Judaeorum paganorumque, aut Christianis e Judaeis et gentibus, dura mihi semper fuisse visa, vel post ea, quae nuper magna ingenii et doctrinae vi a *Justio* disputata fuere p). Qui quidem sic sentit: cum, creata, hic improprie, conditam per Christum ecclesiam significere dubitari non possit, *caelestia* posita

p) l. c. p. 200. seqq.

esse pro Judaeis, ut qui legibus regerentur a Deo constitutis, eaque de caussa regni caelestis (τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν) nomine ornarentur, commodequé adspectabilia (τὰ ὁρατὰ) dici possent, cum institutis sub sensus cadentibus, circumcisione, sacrificiis, ceterisque rebus externis temperarentur; sed *terrena* (τὰ ἐπὶ τῆς γῆς) pro pristinis commenticiorum deorum cultoribus, quos non leges a Deo, sed magistratu humano, datae moderarentur, quique, ut ait Christus Joh. IV, 24, animo Deum colere deberent et hactenus non inepte *invisibilia* (τὰ ἀόρατα) appellarentur. Quae declaratio si minus placeret, nec quis distribute *caelestia* ad Judaeos, *terrena* ad paganos referre vellet, posse hoc quasi conjunctum nomen *caelestium terrenarumque* naturarum ad utrosque accommodari, sic, ut, quem ad modum *caelum et terra*, omninoque mundus (ὁ κόσμος,) comprehenderet *universos*, omnis generis homines complecteretur. Duriora haec esse dictu et studiosa sedulitate magis excogitata, quam ingenii quadam facilitate reperta, vix quisquam negabit. Quem non offendat hoc, quod dixit de iis, quae cerni aut non cerni possint (τὰ ὁρατὰ καὶ ἀόρατα)? Etenim Judaei atque Gentes vel ii sunt, qui ex utroque genere jam Christi essent doctrinam amplexi, vel qui, pristinae disciplinae adhuc addicti, ad Christianam dignitatem exspectarentur. Si

Digitized by Google

illud eſt, (quod quidem in Gentibus ſumit *Juſtius*, ut habeat cur *inviſibiles* dictae videantur), Judaeos aequum erit eodem ſenſu accipi, tamquam ad coetum Chriſtianorum translatos. Quid igitur tum Judaeos inter et Gentes diſcriminis reſtet? utroſque enim, *tamquam veros cultores Dei*, *oportebat*, ut Chriſti apud Joannem verba repetam, *Deum animo et veritate colere*, non haerere in legibus, quae eſſent Judaeis, quamquam a Deo praeſcriptae, utroſque igitur a Paullo ἀοράτους dici, non *adſpectabiles* ab *inviſibilibus* diſcerni. Quodſi vero utrique futuri demum eſſent Chriſtiani, cum adhucdum vetere in conditione verſarentur: quo modo Gentes laudare potuiſſet Paullus, tamquam *animo* colentes Deum et hactenus ἀοράτους, Judaeos autem externo tantum cultus apparatui addictos? inter quos certe plures eſſent omni animo colentes Deum, quam inter Gentes uno externo cultu religioſas. Nec illo animi cultu ſeu vera in Deum pietate commendanda Chriſtus ejuſque Apoſtoli umquam ſuſtulerunt humanas leges, a magiſtratibus datas, quarum cauſſa *Juſtius* Gentes volebat τὰ ἐπὶ τῆς γῆς dictas, quas potius voluerunt ſervari, ſed Judaicas, ad externum cultum pertinentes, quamquam a Deo profectas, per Chriſtianam doctrinam ſublatas profitentur. Quid eſt autem quod pro Judaeis Gentibusque, ſive inter eos,

Digitized by Google

commemoret Paullus θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας? Nempe, inquit *Justius*, propter ea quod omnem regnandi modum, cum illum, quo Deus Judaeos, tum eum, quo homines paganos moderarentur, quasi creando convertit Christus melioremque fecit, constituitque regnum divinum, quod utrosque tamquam cives complecteretur. Quae valde dubito Paulli verbis consentanea esse. Namque κτίζειν, *creare*, simpliciter positum h. e. sine ulla aliqua adjectione, qualis fere est ad Ephes. II, 15, constituendi s. producendi habet vim, non destruendi aut emendandi; verba quoque illa: θρόνοι, κυριότητες, et cetera, non varios regnandi modos significant, sed quod ipse *Justius* concedit, ipsos regnantes sive principes; nec constitutio regni caelestis ullo modo pertinet ad rei publicae cujusdam aut magistratuum conversionem; separata mansit Christiana civitas aut regnum Christi, quod non erat mundanum Joh. XVIII, 36, et res publica Judaeorum paganorumque, neque hujus convertendae emendandaeque Christi consilium unquam fuit.

Est igitur alia quaerenda via, qua, quidquid est in loco nostro difficultatis, declinare, ac potius verum horum troporum sensum invenire possimus. Ecce eam praemonstrat Paullus ipse in locis iis, quos su-

periore disputatione exposuimus, maxime in illo illustri ad Hebraeos capite XII. *Una* est Dei, eaque *in caelis terrisque*, familia; illa sanctis angelis istisque hominibus continetur, qui his e terris in caelum delati, angelorum similes, beatissima immortalitate fruuntur, haec proborum hominum coetu, qui vitam adhuc terreno corpusculo inclusi degunt; illam *adspectabilem*, hanc *sensibus perceptam* Paullus appellat in loco nostro; utramque Christus in unam conflavit familiam eo, quod doctrina sua et vita morti objecta, novam inter homines condidit rem publicam sanctitate cum illis caelestibus naturis consociatam. Quare hujus unius in caelis terrisque familiae auctor est et Dominus, atque haec nova quasi universitas (τὰ πάντα inquit Paullus) *per* eum et *ejus caussa* (δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν) creata est, sic ut omnium sanctarum naturarum Princeps sit, eique subjectum quidquid in principibus aut honore decoratum habeatur. Hoc postremum est in verbis: εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες et ceteris, quae semper adhibentur in describendo apice honoris tributi Christo, ut 1 Petr. III, 22. Ephes. I, 21 atque etiam alibi; plane ut Phil. II, 9 *nomen ei datum* dicitur *omni alio nomine superius* (h. e. *Domini summi* nomen), *ut hujus nominis caussa eum venerari cultu oporteat quidquid vel in caelis, vel in terra* vel *subter illam continetur.*

Ex

Ex quo ſequuntur cetera loci noſtri v. 17. 18.: *Et ille eſt ante omnia*, (omnes), vel tempore, tamquam hujus novae civitatis auctor, vel, quod mallem propter ea quae ſequuntur, honore, eſt enim omnium dominus, *omniaque* (illa) *per eum ſuſtentantur.* Vide locum Epheſ. IIII, 15. 16, per quem haec ad conſervationem rectius quam ad creationem hujus novi univerſi referuntur. *Eſt idem ille caput corporis, hoc eſt Eccleſiae, iſque princeps* (ἀρχὴ), *primarius e mortuis* i. e. eo quod Deus eum primum ſive praecipuum inter ceteros homines revocavit ad vitam, aditum ei ad honoris ſummum faſtigium fecit, *ſic ut ille inter omnes (vel: omni modo) primas teneat.* Quem ſenſum quo minus cognoverint interpretes, qui tropice creationem interpretarentur, videtur impedivisse nomen τῆς ἐκκλησίας in primis v. 18, id quod terminarunt *Chriſtianae* Eccleſiae finibus. Sed quid eſt cauſſae cur iſtud nomen has in anguſtias compellamus? cum Paullus tanta verborum copia et lumine et hic et in ſimilibus, quos ſupra declaravimus, locis, iſtud ultra hos fines ad omnem Dei familiam, non unos ad homines, transferat, nec in loco Hebr. XII, 22 ſeq. dubitet vel de caeleſtibus naturis uſurpare, haſque ipſas cum hominibus ad *unum* coetum referre. Demus vero hoc quoque, noſtro in loco *Eccleſiam* de hominibus ſ. Chriſtianis prae-

cipue dictam esse, licueritne Paullo, quae alias aut in antecedentibus verbis universe dixerat, nominatim de una hujus coetus parte, cui scripserat, dicere? Eadem est ratio, nominis *fratrum*, quo utitur Paullus Rom. VIII, 29 ubi Christum nominat πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς; quamquam ipsi quoque angeli *fratres* Christi possent nuncupari, pariter enim, ut is et cuncti Christiani, *filii* Dei appellantur.

Sed satis de hoc. Nos autem, *humanissimi commilitones*, quibus tamquam Christianis hoc beneficium contigit, ut, uno sub capite, Christo, cum omnibus Sanctis communi in *Deum* Dominumque nostrum *Jesum Christum* pietate conjungeremur, eademque laetissima spes, fore, ut communi cum iis sempiternaque beatitate fruamur, operam omnem dare oportet, ut hanc consociationem tueamur, atque etiam per hos dies, qui celebrandae memoriae nativitatis Domini nostri sacri sunt, eo profiteamur, quod his beneficiis sancta mente recolendis, obeundis sacris celebrationibus, laudibus tanto beneficio nostraque pietate dignis, et novis votis suscipiendis, vere gratos nos praestemus Deo. Quod quidem fortunet Deus O. M.

P. P. Halae d. XXIV Decembris A. C. MDCCC.

Digitized by Google

VII.

ANIMADVERSIONES

DE

CHIROGRAPHO DELETO

ET

AUCTORITATE

A DEO PER CHRISTUM

PRINCIPIBUS DETRACTA

AD LOCUM PAULLINUM.

Col. II, 14. 15.

Digitized by Google

Digitized by Google

Admonent nos beneficia parta nobis virtute ac meritis Domini nostri *Jesu Christi*, quorum memoriam his diebus pietas Christianorum celebrat, in quibus unum maximum hoc est, quod, sublata omni genere religionis, quae eandem vim et necessitatem injungeret rerum externarum, quam animi vera pietate addicti Deo, omnem Dei cultum ad animum et vitam traduxerit, haec igitur nos beneficia admonent, ut, cum, exacta celebratione mortis Christi, nostri homines ad reditum ejus e sepulcro sancta commentatione persequendum incitandi videantur, locum seligamus Paulli Apostoli, in quo hanc, quam diximus, partem libertatis Christianae, tamquam a Christi morte profectam, in primis commendat, lectoribus quidem suis et ad eorum ingenium necessitatemque accommodate, sed ita tamen, ut nobis quoque similem cum illis ejusdem disputationis fructum capere liceat. In quo

Digitized by Google

loco, uno e Paullinis ad intelligendum difficillimo epistolae ad Colossenses capite II, v. 14—23 interpretando, breviter attingemus obvia et plurimorum diligentia interpretum satis, ut videtur, tractata, obscuriora aut quae melius dici et clariora reddi posse videantur, latius persequemur.

Commendat autem Paullus mortem Christi ab ea parte, quod Deus *deleverit chirographum contrarium nobis* q) *idque, comprehensum* r) *decretis* (δόγμασι), *nobisque*

q) Alienum est a caussa nostra discutere, quae clarissimi Duumviri *Io. Henr. Pratie* et *Nic. Barkey* disputavere in epistolis insertis *Bibliothecae Bremensi novae* Class. VI. p. 251 sqq., ut docerent, τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον non esse chir. nobis *contrarium*, sed *a nobis datum* s. *quod nos obligaret*. Nullius quidem momenti ad caput caussae haec controversia videtur esse, nec, quod attulere, effecisse quod vellent, nec infrequens Paullo tavtologia.

r) *Eberh. Dav. Hauberus*, in longa super his verbis disputatione, quae est in ejus *biblischen Betrachtungen* editis Lemgoviae 1753. 8. intolerabilem putat hanc et ab omnium linguarum ratione alienam praepositionis ellipsin, qua sit opus, si quis verba modo eo, quo fecimus, accipere velit, quare et hic et Ephes. II, 15 δογμασι interpretatur ita, ut *per* dogmata s. decreta sua Deus

inimicum, ita e medio sustulerit, ut illud quasi clavis affigeret cruci, v. 14. Quo chirographo, vix hodie quisquam est, qui dubitet legem Mosaicam significari; ita clara res est non modo per ea, quae sequuntur v. 16. seqq., sed etiam per locum ejusdem argumenti ad Ephesios c. II, 14 seq. Atqui uterque ille locus revocare poterat interpretes a communi, ut nobis quidem videtur, errore, quo putant, legem Mosaicam, aut quidquid alias obtrudant huic chirographi verbo, hactenus nobis *adversam* aut *inimicam* dici, quod quasi, sive Judaeos, sive de gentibus profanos, sive, quod aliis visum est, homines in universum omnes, neglectae pietatis accusaverit et subjecerit poenis cum illo legum divinarum contemtu conjunctis. Sed *primum* non esse traducendum locum ad *homines universos*, statim intelligitur, si quidem de alia lege nulla, nisi Mosaica, loquatur Paullus, quod dubi-

hoc chirographum deleverit. Sed ille loquendi modus non abhorret ab Apostoli ratione, qui e. c. etiam 2 Tim. III, 10. 11. commemorat ὑπομονὴν (ἐν) τοῖς διωγμοῖς cet. Quid est autem δογματίζεσθαι in loco nostro v. 20, nisi dogmata illa de cibis et reliquis (v. 21) pertinaciter tenere? Cetera quoque, quae attulit, nihil interest examinari, nec ejus interpretatio aut probata est cuiquam aut probari potuit.

Digitized by Google

tationem habere non poteſt; erat enim nemini, niſi Judaeo, data. Nec, eadem de cauſſa, in *profanis* h. e. gentibus ſive expertibus Judaicorum inſtitutorum culpa haerere poterat ulla, nec Paullus uſquam dicit, hactenus profanos poenam daturos eſſe, quod Moſaicam legem ſive ignoraverint ſive neglexerint; ſunt potius in contrariam partem perſpicua verba, quibus negat, qui ſine Moſaica lege peccaverint, poenas ſecundum eam ſubituros, Rom. II, 12 et alibi. Itaque ſoli forent *Judaei*, qui agnoſcenda lege et ea tamen negligenda rei tenerentur, quibus unis lex poſſet adverſa dici. Enimvero, ſi, quod interpres magno conſenſu profitentur, verum eſſet diſcrimen a Paullo ſtudioſe factum et conſtanter obſervatum inter ὑμᾶς, *vos*, et ἡμᾶς, *nos*, ita ut illud ad *gentes*, hoc ad *Judaeos* referretur: perſpicue Paullus per totum orationis contextum, alloqueretur *illas*, eiſque annumeraret beneficia, quae a profeſſione Chriſtianae doctrinae proficiſcerentur. Quaeſo igitur, quid attinebat liberationem *Judaeorum* a legis Moſaicae vinculo et comminatione afferre, cum *gentium* cauſſa a cauſſa *Judaeorum* alieniſſima ageretur, qui ubi a *culpa* ejus legis neglectae liberati eſſent, *his* eſſet conceſſum beneficium, non *gentibus*, propatereaque alieniſſimum erat ab hoc loco, quo Paullus beneficia proſequitur, quae ad *gentes* per-

Digitized by Google

tinerent. Perspicuum est *porro* hoc quoque, quod Apostolus v. 16 sqq., gentes nulla legis Mosaicae obligatione teneri, colligat ex eo, quod deus istud chirographum delevisset (μὴ ΟΥΝ τις κ. τ. ἑξ). Iam, si hoc habet hanc vim, ut sit illa *culpa* sublata; quid igitur illud ad *gentes*, quibus neque lex Mosaica data esset, neque culpa ulla ex ejus neglectu contracta? Quid est tandem caussae, cur, cum in promtu esset argumentari hoc modo: culpa deleta est, quae exstitit e contemtu legis Mosaicae, ergo nihil poenarum metuendum est vobis, quas dare legis negligentes oportebat, quid est, inquam, caussae, cur *poenarum* aut *metus* mentionem nullam faciat, sed unius *obligationis*. Aut quo modo hoc sequitur (ita enim debuisset Paullus colligere, si verum esset quod de sublata culpa volunt): cum *culpa* et peccata deleta sint, necessario cogitur, legem Mosaicam nullam vim *obligandi* habere? Quid igitur? si deleta sit propter Christum culpa neglectae pietatis nostrae in Deum, si peccata nobis condonata sint, pietas etiam omnis sublata sit? nulla omnino vis legum divinarum reliqua? Christiani nullo earum vinculo teneantur?

Videtis, spero, *Lectores*, in quas se difficultates induant ii, qui comunem interpretationem de culpa deleta sequantur; qui-

bus vereor ne fraudi fuerint duo, quae breviter excutienda videntur. Unus error natus eſt e proprietate ſignificationis *chirographi*, ac potius ex etymologia verbi, quam, ut fit, preſſerant ſine cauſſa; alter e diverſitate verborum *nos* et *vos*, cujus tenacem fuiſſe Paullum in hac omni diſputatione ſumunt. Ac *chirographum* ſatis conſtat de quocunque *ſcripto* dici, non ſtatim aut ſemper de eo, quo caveatur, ne debitor fidem fallat, et, ſi fefellerit, argui criminis poſſit. Hanc vim, illa altera neglecta, unam amplexi ſunt, duabus de cauſſis, quantum equidem reperire coniiciendo poſſum. Primum, quod illud attributum: ὅ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, videretur quandam, ut ita dicam, quaſi malignitatem continere, legis videlicet adverſae, et, inſtar creditoris, jure ſuo, vindictam poſtulantis. Nec tamen neceſſaria eſt aut una iſta vis hujus formulae, ut poſthac dicetur, cum ad verum ejus ſenſum eruendum pervenerimus. Alia forte cauſſa in eo quaeſita eſt, quod Apoſtolus, cum de lege Moſaica loquatur, alias utatur γράμματος verbo, ut credibile non ſit, ſi legem ſimpliciter ſignificare voluiſſet, eum ſingulare hoc chirographi verbum adhibiturum fuiſſe. Attamen, ſatisne hoc cauſſae eſt, cur verbi inſiſtere debeamus notationi? in Paulli ſcriptis praecipue, qui de eadem re variare verba non dubitat? Legem cum dicat 2 Cor.

Digitized by Google

III, 7 γράμμα ΕΝΤΕΤΥΠΩΜΕΝΟΝ ἐν λίθοις, quid hoc aliud est quam χειρόγραφον, nulla vi adversariae legis aut creditoris jus suum persequentis adjuncta? At ibi tamen vel ipsum hoc, quod lex insculpta fuerit lapidibus, docet, Paullum non ad legem simpliciter intentum habuisse animum, sed ad ejus attributum, quo significaretur lex promulgata quidem, at diversa ab ea, quae *menti* esset inscripta; quo fit, ut nostro quoque in loco χειρόγραφον adjectam habeat vim attributi cujusdam, quod significare Apostolus, non legem per se commemorare, voluerit! Demus igitur hoc quoque. Neque tamen necessario hoc verbum quandam, ut supra ausus sum dicere, malignitatis notam continet, sed alia forte de caussa usurpatum fuit. Solet quidem Apostolus, ubi de aliqua re cum contemtu loquitur, frequentare verbum του χειροποιήτου, quod *manu* factum sit, ut 2 Cor. V, 1. humile corpus nostrum, quo his in terris conclusi tenemur, οἰκίαν χειροποίητον, diversam ab illa ἀχειροποιήτῳ quam in caelis nanciscemur, ut corpus Christi Ebr. VIIII, 11 τελειοτέραν σκηνήν, οὐ χειροποίητον, τουτέστιν, οὐ ταύτης τῆς κτίσεως; inprimisque in contextu loci, quem tractamus, v. 11. Judaicam circumcisionem, *manu factam* appellat, sed veram, eamque animi, circumcisionem, quae fiat per Christum, ΑΧΕΙΡΟΠΟΙΗΤΟΝ. Potuitne igitur

Paullus, quasi contumeliose dicturus de lege Mosaica, eam ΧΕΙΡΟΓΡΑΦΟΝ h. e. *γράμμα* ΧΕΙΡΟΠΟΙΗΤΟΝ, eodem sensu nuncupare, ut in loco ad Corinthios legem *lapidibus* insculptam aut tabulis lapideis, non *animi* ipsius tabulis, ut loquitur ibi v. 3, atque hoc modo significare, *externas* fuisse has leges h. e. jubentes cultum externum, qui vel sine animi probitate celebrari posset, nec, ut Apostoli verbis utar Ebr. VIIII, 9. 10, 13. 14 *puriorem redderet cultorem, ejusque animum liberaret a male factis* (*νεκροῖς ἔργοις*) *sed contineretur praeceptis de cibo et potu, de variis lustrationibus, aliisque statutis corporeis, quae facerent ad καθαρότητα τῆς σαρκός*? Sunt quidem ejus generis quam plurima in Paullinis epistolis.

Alterum errorem, qui communem hujus sententiae interpretationem pepererit, dicebamus esse in eo, quod Paullum constanter discrimen Judaeos inter ac profanos servasse, idque vel diversitate pronominum *nos* et *vos* prodidisse, opinarentur, ex quo sequeretur, chirographum s. Scriptum *nobis* adversarium, non nisi ad Judaeos, qui legi Mosaicae addicti essent, referri, nec alio modo, quam de hujus legs severitate et conscientia eorum, quae essent contra illam facta, intelligi posse. Neque vero ego sum is, qui illam sententiam admodum asperner aut Paullum negem

aliquoties ita Judaeos et gentes vel his nominibus disjunxisse, quamquam non memini obviam in nostra epistola hujus rei significationem, nec ausim dicere vitium in scribendo irrepsisse in libros nostros, ut Paullus καθ' ὑμῶν et ὑπεναντίον ὑμῖν scripserit pro vulgata lectione, nec probem Peircii audaciam, qui pro arbitrio hoc loco *nos* de *gentibus* interpretatur, quas tamen Paullus per universum orationis contextum in secunda, quod ajunt, persona alloquitur. Sed sit ita sane, quod Paullus alibi hoc discrimen in pronominibus servaverit, nostro quidam in loco cur sit ita statuendum, necessariam caussam nullam reperio. Nam, quem ad modum in epistola Ephesiis scripta, una illa, nisi fallor, quae perspicue hoc vel in pronominibus discrimen continet, capite quidem secundo v. 1 sqq. *vos* dicit eos, qui olim Deorum cultorum cultores fuissent, nec tamen dubitat statim v. 3 sqq. in eadem ipsa sententia *nos* substituere, eodemque primae personae signo *utrosque*, Judaeos et gentes, complecti (est enim v. 1. ὑμεῖς, v. 3. s. ἡμεῖς, ut iterum v. 8 ὑμεῖς): quidni hoc quoque in loco *utrosque* per *nos* expresserit, ut ad Judaeos et gentes similiter referatur? Quo autem sensu lex possit Mosaica *utrisque* adversaria dici, nunc paucis demonstrandum videtur.

Digitized by Google

Nempe ut ſuperioribus rationibus effeciſſe ſperamus, ut intelligatur, locum noſtrum non poſſe de lege Moſaica accipi, quatenus illa, commemoratione neglecti officii, cum male factorum conſcientia, Judaeorum animos terreret, (quae argumenta neceſſe eſt refutari ab iis, qui popularem interpretationem tuentur, etiamſi non ſatis factum ſibi videretur per ea, quae rationibus iſtius interpretationis objecimus): ſic ea, quae Paullus tradit in epiſtola ad Epheſios, non modo non confirmant vulgatam interpretationem, ſed etiam aliam commendant, quae depellere a noſtro loco obſcuritatem poſſet. Utramque enim epiſtolam reciprocum quaſi lumen afferre ſibi, nemo neget, qui utramque eodem tempore, eademque fere de re ſcriptam eſſe cogitet, et, quod cauſſam noſtram in primis adjuvet, conferat diſputationem Col. II, 12. 13 cum loco Epheſ. II, 1—6, Col. II, 19 cum Eph. IIII, 15. 16, v. 20 cum Eph. II, 12, et noſtrum ipſum locum cum Eph. II, 13—16. In quo poſtremo ad Epheſios loco primum id, quod in noſtro eſt χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, redditur per νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, *legem quae verſetur in praeceptis iiſque arbitrariis decretis;* (eſt enim δόγμα *decretum*, ut de regiis ſaepe in verſione Danielis vetere graeca, de Philoſophorum placitis fere proprium, ſatis igitur aptum vocabulum ad

significandas leges Mosaicas, quas Mosis sive Dei auctoritas, non rei natura, sanxisset). Quod in nostro est: ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου, προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ, in illo est: κατήργησε, et tribuitur *sanguini Christi, qui conciliaverit utramque gentem* διὰ τοῦ σταυροῦ. Quae autem ibi respondeant *deleto chirographo eique nobis adverso?* Illa videlicet, quae Christum dicunt ΛΥΣΑΝΤΑ ΤΟ ΜΕΣΟΤΟΙΧΟΝ ΤΟΥ ΦΡΑΓΜΟΥ h. e. *parietem qui* utramque gentem *separasset s. parietem videlicet intergerinum*, ut unum in genitivo verbum interpretetur alterum, ut est Col. I, 15. λόγος τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου *vera doctrina*, *hoc est* Evangelium, c. III, 24 ἀνταπόδοσις τῆς κληρονομίας, *praemium id est salus consequenda*, et sexcenta alia, quae nihil attinet afferre. Quonam igitur sensu lex scripta erat *adversaria?* Quatenus impediebat, quo minus coire in unum Judaei et profani possent; quatenus erat ἔχθρα (v. 15), *caussa inimicitiae*, quae sejungeret utramque gentem. Et Christus, (ut est Ephes. II, 16), *conciliavit utramque conjunctam in unum corpus Deo, in cruce*, eo quod ἀπέκτεινε τὴν ἔχθραν, *delevit illam inimicitiae* (utriusque gentis, v. 15) *caussam*, *sublata per corpus interemtum suum lege Mosaica.* Aperitur hac ipsa re istud, quod supra me pollicebar demonstraturum, quam apte Paullus *nobis*, Christianis nimirum, qui ex utra-

Digitized by Google

que gente essent, adversariam legem Mosaicam dixerit! Erat enim Judaeis, vel ipsam hanc ob legem, ut *Tacitus* loquitur [s]), *adversus omnes alios hostile odium*, ipsi autem vicissim omnibus *invisi*, ita, ut neque ii, qui de gentibus unum Deum amplecterentur sesesque hactenus cultu cum Judaeis conjungerent, circumcisionem vellent et ceterea lege praescripta suscipere, neque Judaei istis jus civitatis sacrae aut populi divini concedere, nisi se prius universae legi Mosaicae addixissent. Hanc igitur *adversam nobis* dicit Paullus h. e. obstantem conjunctioni utriusque gentis et religionis in unam Ecclesiam, sed *ea sublata* et *pace ita conciliata* Christus *e duobus unum quasi novum hominem creavit;* quae sunt ipsa verba Paulli Eph. II, 15.

Veniamus ad reliqua. Ἀπεκδυσάμενος, inquit Apostolus, τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ. Quae non dubito vertere: *Spoliavit* auctoritate sua *principes et prostituit*, *eosque* veluti *in triumpho per eum duxit.* In quibus duo maxime sunt, quae in disputationem cadant. Primum quaeri solet, quae vis sit verbi ἀπεκδύσασθαι, et quo illud referendum? Nam, cum plerique de nostris

s) Histor. V. 5.

interpretibus referant verbum ad ea quae sequantur et reddant: *spoliavit principes* cet., alii sunt qui intercedant et negent, fieri illud per usum loquendi posse [t]); teneri enim vim verborum mediorum debere, quae postulet, Christum *se exuisse*, quod et veteres quidam interpretes, Syrus, *Augustinus*, ceterique latini existimaverunt, libri etiam graeco-latini, veluti Boernerianus, expunctis verbis: τὰς ἀρχὰς καὶ, τὴν σάρκα receperunt in textum. Pro carne s. corpore, quod deposuerit, alii malunt sive divinum sive humanum splendorem substituere, quo se abdicaverit, sive, ut in scholis loquuntur, sese exinaniverit; fuit adeo [u]) cui non ineptum videretur dicere: Christum, qui per principes vicarios gentem Jsraeliticam rexisset, eos posse dici tamquam vestem induisse, et exuisse, dum ipse solus regnum capesseret; alius, qui, interpretationis duritiem mitigaturus, Judaeorum principes pro ipsa lege rituali positos putaret, e quo nasceretur sententia: Christum sibi hanc legem exuisse h. e. abro-

t) Vide in primis *S. F. Dresigii* Commentarium de verbis mediis N. T. p 190 sq. et *C. F. Loesneri*, V. Cl. Obss. ad N. T. e Philone Alex. p. 365 sq.

u) *Outhovius*, in Biblioth. Bremensis Classe VI. p. 950.

gasse. *Loesnero* denique videbatur: ἀπεκδύεσθαι τι esse *eluctando vincere et superare*, ut sensus esset: *devictis principibus exemplum eos suae potestatis proposuit*; quamquam mallem in *Philonis*, quem attulit, loco, τὰς ἐντέχνους αὐτῶν περιπλοκὰς ἐκδυσόμεθα pressius reddere: *exuemus nos ex artificiosis eorum laqueis*; dubito etiam, an, quod *Philo* de rebus, e quibus nos expediamus, dicit, transferri possit verbum ad personas, ut habeat vim *superandi* alterius. Quidquid sit, haec omnia, quae sumunt, medii verbi vim non esse in loco nostro negligendam, vanitatis vel hoc unum arguit, quod, qui ita, diversis modis, interpretarentur, Apostoli sententiam ad Christum retulerint, cum universa orationis series de Deo loquatur, qui per Christum hoc fecerit. Atqui hanc auctoritatem magis sequi debuissent, quam vim verborum mediorum aut grammaticam auctoritatem, quam, satis constat, a Paullo subinde neglectam esse; quod nec admodum in vitiis scribentis haberi oportet, si quidem verbis aut orationis contexto satis se declaverit non communem verborum usum secutum. Nec video, cur magis offenderit hoc, quam quod in eadem sententia Paullus θριαμβεύσας αὐτοὺς, *de victis* iisque in triumpho ductis dixerit, cum θριαμβεύειν τινα alias 2 Cor. II, 14 plane alio sensu ad-

Digitized by Google

hibitum reperiatur de eo, quem quis tamquam *victorem* triumphum agere voluerit.

Sed in disputationem venit hoc quoque: quaenam sint illae ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, quibus vim auctoritatemque suam per Christum detraxerit Deus? Quod de diabolo ceterisque malignis geniis plerique verba acceperint, non miror equidem; poterant enim invitari locis iis, quae de Deo hujus aevi, de Spiritu movente refractarios, de Principe hujus mundi, de nobis a potestate Satanae ad Deum conversis, de destructione ejus, qui mortis vim haberet, h. e. diaboli, et verbis similibus loquerentur; (2 Cor. IV, 4. Eph. II, 2. Jo. XIV, 30. Act. XXVI, 18. Ebr. II, 14 sqq.); chirographi etiam commemoratione, quoad illud ad leges dei universas, ad peccata, ad diabolum, tamquam homines reos in jus vocantem, traheretur. Quamquam desidero talia Scripturarum sacrarum dicta, quae pluribus ejus generis angelis talem in homines potestatem tribuant, aut istis ἀρχῶν et ἐξουσιῶν nominibus simpliciter positis haud dubie istos significent. Multo minus audiendi sunt, qui hos principes quaesiverunt in bonis angelis, quorum auctoritas regnaverit apud Judaeos, Essaeos in primis, Paullo etiam commemorata, (sic quidem volunt) v. 18 loci nostri, ubi θρησκείαν τῶν

Digitized by Google

ἀγγέλων reprehendat; cujus commenti refellendi otium nobis fecit *I. G. Krafftius* x), ut repetere aut addere, quae contra dici possent, non sit necesse. Nostrae memoriae interpretes, tantum non omnes, praeter superioris temporis aliquos y), referunt istas ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας ad magistratus ac potius doctores Judaeorum, quos satis constat ita appellari à Christo Lucae XII, 11 et quos ipse Paullus 1 Cor. II, 16 dicit ἄρχοντας τοῦ κόσμου τούτου τοὺς ΚΑΤΑΡΓΟΥΜΕΝΟΥΣ. Hos certe posset Deus dici *auctoritate privasse* (ἀπεκδύσασθαι), *objecisse publicae ignominiae* (δειγματίσαι ἐν παῤῥησίᾳ) *et tamquam in triumpho duxisse* (θριαμβεύσας) *per Christum* (ad hunc enim mallem, quam ad crucem, referre illud ἐν αὐτῷ), hactenus, quod Christi morte, tamquam verissimo pro peccatis sacrificio, omnis sit vis atque necessitas sacrificiorum ceterorumque institutorum Mosaicorum sublata, omnis etiam in religione Judaica commendanda auctoritas doctorum Judaicorum destructa, ut quae una a Mosis statutis, quorum interpretes essent,

x) *Observationum SS.* Fasciculo *sexto*, obs. III. §. 10 sqq.

y) V. *Wolfius* in Curis phil. ad h. l. *Sal. Deylingii exercitatio de chirographi ac principum legalium abolitione* repetita est in ejus *obss. SS.* Parte IV. p. 580 sq.

Digitized by Google

penderet, omnes etiam insidiae eorum eversae et publico opprobrio objectae eo, quod non modo, vel interemtione Christi, non potuissent ejus auctoritatem destruere, sed etiam ipsorum decreta victricis doctrinae Christianae auctoritate deleta cum ignominia fuissent. Hunc sensum omnis orationis Paullinae contextus postulat, in quo doctrina Christi et decreta humana (παραδόσεις τῶν ἀνθρώπων), cum Judaicis praeceptis (τοῖς στοιχείοις τοῦ κόσμου) componuntur, v. 8 sq. et Christus appellatur v. 10 caput omnium principum et magistratuum (ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας); posthaec autem ex hac ipsa eversione τῶν ἀρχῶν καὶ ἐξουσιῶν colligitur v. 16 sq. neminem, qui aliud *caput* praeter Christum agnoscat v. 19, Christianos propter repudiata Judaeorum dogmata condemnare debere. Possemus etiam haec, quae sequuntur, commentatione persequi nostra, sed ejus rei accuratius tractandae commodior opportunitas dabitur.

Nunc hoc unum agendum restat, ut Vobis, *Humanissimi commilitones*, sanctam festorum dierum, qui Christo e mortuis reduci sacri sunt, celebrationem commendemus. Neque enim veremur, quemquam inter vos, qui haec nostra legerit, siquidem vera pietate sacras Scripturas amplectatur, existimaturum, sublata lege Mosaica,

Digitized by Google

dominum nostrum *Jesum Christum*, cultum externum universum sustulisse, quem et ipse sanctissime obiit, et doctrina atque exemplo confirmavit, et baptismo coenaque sacra, tamquam nova dote, auctum ad suos transmittendum putavit. Sed in externo cultu quoque pro rituum et caerimoniarum Judaicarum vanitate meliora substituit, quae sunt hoc magis amplectenda et pia mente obeunda, quod et memoriam contineant summorum beneficiorum, non terrenorum, ut erant illa Jsraelitis celebrata, sed ad animorum nostrorum salutem pertinentium, nec legum aut comminationum severitate exigantur, sed ipsa meritorum Christi magnitudine provocent pietatem nostram. Igitur, admoniti commemoratione reditus Christi ad vitam, diligentem operam demus, ut nec hic ista pietas Christiana desideretur, sed per hos quoque dies assidua cogitatione ejus quod ei debemus, religiosa cultus publici celebratione, et ratione vivendi universa, ejus memoriam omni mente et animo honoremus.

P. P. Pridie festorum diorum, qui sunt memoriae reditus Jesu Christi e sepulcro sacri A. C. MDCCLXXXVIIII.

Digitized by Google

VIII.

ANIMADVERSIONES

AD LOCUM PAULLINUM

Col. II, 16—23.

Digitized by Google

Digitized by Google

Persequentibus nobis, quam nuper admodum susceperamus, disputationem ad locum Paullinum Col. II, 14 sq., tractata illa ejus parte, quae erat de sublata legis Mosaicae et Judaicorum doctorum auctoritate, altera jam pars illustranda occurrit, quae Christianos jubet contemnere caerimonias Judaicas, nec in iis observandis exquisitae sanctitatis laudem quaerere. De qua re: *Ne quis igitur*, inquit Apostolus v. 16. 17., *vos condemnet propter cibum aut potum, aut diem festum vel novilunium, vel sabbata; quae quidem imagines sunt rerum futurarum, corpus autem* s. res ipsa *in Christo quaerendum est.* Praetermittimus pervagata et multorum disputationibus repetita de Mosaicis institutis, quorum hic partes enarrantur, et istud ἐν μέρει ἑορτῆς esse per pleonasmum pro ipso festo die. Satis est, observasse: verba: *ne quis vos condemnet*, dici pro: contemnite ista judicia nec istis diris perterreamini

Digitized by Google

quas obnuncient, qui fancte fervari haec inftituta a vobis velint; ut nofter alibi Phil. I, 28 jubet μὴ πτύρεσθαι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων; aut 1 Cor. X, 29 ἵνα τί γὰρ ἡ ἐλευθερία μου ΚΡΙΝΕΤΑΙ ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως, quae non dubito vertere: *quid enim ego curem alterius fententiam, ut libertate* omnibus promifcue vefcendi *non utar?* ut ibi v. 30 τί βλασφημοῦμαι, *quid ego movear aliorum obtrectatione?* Paullus v. 18 ipfe interpretatur κρίνεσθαι per καταβραβεύεσθαι *praemium negare alicui*, fententia fua aliquem fructu futurae five fperandae aliquando beatitatis excludere; omninoque idem loquendi modus, qui 1 Timoth. IV, 12: *nemo juventutem tuam contemnat* h. e. Hoc age femper, ut nihil levitatis in adolefcentibus frequentis oftendas, quo fieret, ut te alii jure quodam fuo contemnerent.

Sed video, quae fequuntur v. 17, vel nihil omnino, vel non fatis bene tractata. Illa quidem: ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων magno confenfu accipiunt in hanc partem, ut ifta inftituta Paullus dicat nihil effe nifi *umbras* five imagines *futurorum;* nam ipfe ad Hebraeos c. X, 1. fubftituit: *legem habuiffe umbras futurorum bonorum* a). Quodfi hane

a) Quibus verbis evertitur interpretatio *Io. Nic. Richteri* qui (in *Biblioth. Bremenfi*

ipsam Paulli interpretationem, ut par erat, tenuissent duumviri isti, quos appellavi in margine, nihil, spero, difficultatis invenissent in iis quae sequuntur: τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, nec existimassent, in illis ante τοῦ Χριστοῦ repetendum esse τὸ σῶμα, idque corpus de Ecclesia, ut alias, accipiendum, quasi dixisset Paullus: *corpus* ipsum, *Christi corpus* est, hoc est Ecclesia, ea igitur ab illa servitute legis Mosaicae libera. Nempe offendebantur genitivo τοῦ Χριστοῦ, quo im-

nova Class. I. p. 93 sq.) volebat haec quae vim adumbrandi habeant, atque *futura*, ad *sabbata* unice referre, ut diceret Paullus, ac potius Judaeus: Sabbata ista imaginem continent venturorum sabbatorum i. e. quietis olim Dei populo sperandae. Contra quem recte dixit *Io. Theoph. Elsnerus* in eadem bibliotheca et classe p. 441 sq., frustra, ut opinor, repugnante illo Classe III. p. 80 sqq. Ceterum non omnino nova haec est, ut illi putabant, interpretatio, quae σῶμα Χριστοῦ h. l. ad Ecclesiam referebat. Erant enim vel *Ioannis Chrysostomi* aetate, qui verba, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ab antecedentibus sejuncta, conjungerent cum sequentibus v. 19: τ. δ. σω. τ. Χρ. μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, ut verba trajecta essent, pro: μηδεὶς ὑμᾶς, τοῦτ' ἐστιν τὸ σῶμα τ. Χριστου, καταβρ., *nemo vos, ut qui estis corpus Christi, condemnet.* E Chrysostomo haud dubie hauserunt *Photius, Oecumenius et Theophylactus*, ad hunc locum.

pediretur, quo minus cogitandum esset de ipso Christo; usurum enim putabant Apostolum fuisse nominativo ὁ Χριστὸς, si quidem voluisset Christum ἀντίτυπον rerum in lege Mosaica commemoratarum dicere. At *primum* non tenuerunt hoc, σῶμα hoc loco non proprie *corpus* esse, sed, quoniam ab *umbra* s. imagine discernitur, *rem ipsam*, ipsa *futura bona*, vel, ut Paullus loquitur in epistola ad Hebraeos l. c., αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, h. e. ut *Ciceronis* verbis utar b) *expressum, non adumbratum, signum*, sive, ut alias dicit c), *solidam et expressam effigiem rerum* illarum futurarum, vel, quod Joanni in eadem disjunctione est (Evang. cap. I, 17), τὴν χάριν καὶ τὴν ἀλήθειαν, *verum* s. *ipsum beneficium*; qua re efficitur, τὸ σῶμα Χριστοῦ hic non esse posse *corpus Christi* s. Ecclesiam. *Deinde* sumunt, eos, qui *Christum* hic ἀντίτυπον institutorum Mosaicorum dicant, eos igitur personam Christi intelligere. Quod qui faciunt, videant, quo modo genitivum Χριστοῦ sua cum sententia concilient; *Castalionis* quidem exemplum non probo, qui eandem esse volebat hujus genitivi rationem, quam in verbis latinis: *summa miseria est belli civilis*

b) pro Coelio cap. V.

c) de Off. III. 17.

Digitized by Google

pro: bellum civile; neque enim ipsum bellum dici putem miseriam, sed hanc cum bello conjunctam s. ab eo metuendam. Sic pariter verba τὸ δὲ σῶμα, τοῦ Χριστοῦ, (quae ita sunt distinguenda, ut in σώματι subjectum sit, in genitivo τοῦ Χριστοῦ attributum), haec igitur verterem: *res autem* s. veritas ipsa h. e. ipsa illa futura bona (τὰ μέλλοντα), *in Christo quaerenda*, ab ipso repetenda sunt; ut fere *Grotius* expressit. Atque haec videte quam bene cum iis consentiant, quae Paullus versu 9 dixisset, si quidem sumitur, quod alias planum fecisse arbitramur d), ἐν Χριστῷ εἶναι πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος idem esse quod: universa, quae nobis tribuere vult Deus, beneficia, inprimisque veram caelestem sapientiam, qua sumus tamquam Christiani imbuendi, in Christo quaerenda, ab eo nobis allata esse. Hoc igitur πλήρωμα τῆς θεότητος quid est aliud, nisi ipsa illa *futura bona*, quae, quoniam ipsam rem continent, quam tenere nos oportet, atque propter ea in loco nostro σῶμα appellantur, in superiori loco v. 9 dicuntur σωματικῶς in Christo fuisse, quasi tu diceres: πᾶν τὸ πληρ. τ. θεότητος, τοῦτ᾽ ἔστιν τὸ σῶμα, κατοικεῖ ἐν Χριστῷ, *quidquid est donorum quae impertire nobis vult Deus, (quae tamen non umbrae*

d) *Opusculorum ad interpretationem sacrarum scripturarum* Fasciculo II. dissertatione X.

Digitized by Google

ſtus, non e longinquo aut per imagines oſtenſa, ſed res ipſae, ipſum veluti corpus, cujus non niſi umbrae apparebant ſub lege Moſaica), hoc igitur quidquid eſt donorum, in Chriſto reſidet.

Sequuntur in loco noſtro v. 18 et 19 verba ſubobſcura, interpretum commentis etiam obſcuriora facta, a quibus, relictis iis quae nota ſunt, dabimus operam ut obſcuritatem depellamus aut priſtinam illis ſimplicitatem reſtituamus. Καταβραβεύειν, jam dudum obſervatum eſt, verbum eſſe e certaminum ratione ductum, quod proprie ſignificet: *aliquem praemio indignum pronunciare, eive brabeum contra jus faſque negare*, poſt etiam univerſe *fallere* aut *circumvenire*. Quod cum ad hunc locum tranſlatum varie ſoleant interpretari, quae hic vera vis verbi ſit, facile intelligitur ex iis, quae Paullus v. 16 dixerat: μή τις ὑμᾶς κρινέτω; quibus aperitur, non eſſe h. l. vertendum: *nemo vos decipiat*, aut, *ne quis perverſum ſibi judicium arroget*, nec cum *Luthero* (quamquam is proxime abfuerit a vero ſenſu) *ne quis erga vos religionis calumnia utatur* (ſic enim audeo reddere ejus: *laſſt euch niemand ein Gewiſſen machen)*, nedum: *ne quis vobis praeſcribat quae ſequi fugereque debeatis*, quod ne verbi quidem natura ferat; ſed, ad ſimilitudinem illorum verborum,

Digitized by Google

quae supra declaravimus: ne moveamini s. perterreamini *dictis eorum*, *qui expertes vos fore futurae salutis pronunciant*, propter ea quod commenticiam religionem amplectuntur, nobisque obtrudunt quam contemni a Christianis oportet.

Quaenam autem est ista commenticia religio, cujus auctores Apostolus dicit θέλοντας ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων?, Principio non sollicitandam arbitror lectionem ΘΕΛΩΝ, ut cum *Patr. Junio*, *Heumanno* et *Jo. Toupio* e) substituam ΕΛΘΩΝ quamquam ἐλθεῖν saepe est in N. T. Matth. VII, 15. cap. XXIV, 5 et alibi de iis, qui se aliis tamquam doctores offerunt magistrorumque auctoritatem sumunt; aut cum *Jo. Clerico* ΘΕΛΓΩΝ *alliciens* f); neque enim necessaria est emendatio, ut postea videbimus, nec videtur hic ferri posse, propter ea quod v. 23 ἐθελοθρησκείαν Paullus commemorat, ut in hoc versu θέλοντας θρησκείαν τινα. Hac ipsa de caussa, quod

e) *Emendatt. in Suidam* Part. II. p. 63 aut Opuscul. critt. Edit. Lips. p. 200. Eandem lectionem probat *Jac. Bryant* in appendice ad librum; *Observations on a controverted passage in Justin Martyr*, Londini 1793. 4.

f) ad *Hammondi* Paraphr. N. T. Tom II. p. 335.

Digitized by Google

quod istis nebulonibus ἐθελοθρησκείαν tribuit, istud θέλειν nollem cum quamplurimis referre ad istos, qui *arbitrio suo* aut *cupide* agant, sed sequerer potius eos, qui adhibita consuetudine Ebraeorum, conjungente verbum חפץ per particulam ב cum aliquo nomine, θέλειν ἐν τινι vertunt *delectari aliqua re* atque sese in ea jactare, ut Psalm. CXLVII, 10. 1 Sam. XVIII, 22. Matth. XXVII, 43 *coll.* Psalm XXII, 9, inprimisque 1 Macc. IV, 42 ubi θέλοντες ἐν νόμῳ iidem sunt, qui in textu quem tractamus, legis Mosaicae tenaces.

Θρησκείαν τῶν ἀγγέλων, sunt, qui cultum interpretentur, quo prosecuti sint, nisi Judaei, certe aliquot ex istis, veluti Essaei, aut Gnostici, angelos, quorum tamquam interventu crediderint se Deo gratiosos fore; alii, angelicae quasi religionis ac pietatis studium, quo Judaicae severitatis amantes, angelorum eximiam sanctitatem imitarentur. Illos transversos egere dicta veterum, qui Judaeos hujus stultitiae accusarunt, qualia *Bellosobrius* g) et alii collegerunt, itemque studium omnia propemodum dicta N. T. adversus haereticos, in Essaeos Gnosticosve contorquendi. Neque vero me pudet alterius sententiae esse; nam et alibi Paullus

g) *Remarques hist. crit. et philol. sur le N. T.* Tome II. p. 60.

Digitized by Google

(Act. XXVI, 5) τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς Ιουδαϊκῆς θρησκείας non cultum dicit, sed studium singulare sanctitatis Pharisaicae, quae crebris jejuniis et exquisitis exercitationibus aliis cernebatur: et versu 23 capitis nostri pro θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων substituit ἐθελοθρησκείαν, quam dubitari non potest fuisse in fugiendis cibis, quos lex Mosaica interdixisset, et similibus institutis, plane ut v. 16 βρῶσιν καὶ πόσιν, cibum et potum cum cautione Judaica sumtum, dixerat pro θρησκείᾳ hujus loci. Ταπεινοφροσύνην, quae ista cum θρησκείᾳ conjungitur, non tam humilitatem aut modestiam, quamvis simulatam, intellexerim, certe non eam, quae vix audeat ad Deum oculos attollere aut precibus eum accedere, qualem ostendisse comminiscuntur eos, qui angelorum mallent interventu uti quam ipsi appropinquare Deo; est enim hoc omnino commenticium, nec Judaeos ita sensisse doceri ullo modo potest; sed, quoniam τῇ ταπεινοφροσύνῃ v. 23 adjuncta est ἡ ἀφειδία σώματος, crudelitas in ipsum corpus, eam mallem referre ad tenuitatem in victu, severitatem in cohibendo appetitu ciborum, quos lex Mosaica interdixisset, jejuniorum frequentiam et quae sunt generis ejusdem. Neque id videtur a consuetudine loquendi alienum. Nam ταπεινοῦν τὴν ψυχὴν Levit. XVI, 29 et 31 et saepe alias, est more Hebraeorum: appetitui vim inferre, quod fa-

Digitized by Google

ciunt ii, qui se a cibis capiendis cohibent; nec dubitat Paullus Phil. IV. 12 ταπεινοῦσθαι permutare cum verbis πεινᾶν et ὑστερεῖσθαι; ut nullus dubitem, et nostro in loco et in illo Act. XX. 19 τὴν ταπεινοφροσύνην, ibi quidem inter *lacrymas* et varia *adversa* commemoratam, de tenui victu et cultu interpretari, sive is a necessitate quadam profectus sive sponte susceptus fuerit.

Hanc ad notionem severitatis in se ipsum et commenticiae religionis dirigenda est interpretatio verborum, quibus ejus rei studiosus Paullo dicitur: ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων. Satis quidem et magna exemplorum copia demonstrarunt viri docti, quorum nomina *Wolfius* h) adnumerat et *Krebsius* i), verbum ἐμβατεύειν τινὶ s. τι proprie habere vim *ingrediendi*, post etiam *inquirendi* omnique exprimendi studii alicujus rei accurate cognoscendae, ut ὁρᾶν non modo vim *videndi* habet sed etiam *cognoscendi* Jo. VI. 46 atque alibi. Sed ista verba plerique omnes accipiunt de his, qui curiosi sunt cognoscendorum eorum, quae mentis humanae imbecillitatem excedant, quaeque assequi nemo mortalium possit. At ejus rei nihil est in-

h) in *Curis philol.* ad h. l.

i) *Obss. in N. T. e Josepho* p. 341.

universae orationis contextu, qui de arbitrariis institutis et exercitationibus loquitur, de mysticorum indagatione nullo modo; et sunt profecto hi ἐμβατεύοντες ἃ μὴ ἑώρακασι iidem quod 1 Tim. I, 7, in ejusdem argumenti loco, μὴ νοοῦντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται, qui, *neque quod dicunt, neque quid inculcent, ipsi intelligunt* k). Nempe, qui addicti erant Judaicis institutis eaque aliis sequenda proponebant, ignorabant, concessa esse in legibus Mosaicis multa, quae nec vim tamen praeceptorum haberent, omnia autem non nisi ad tempus, nullis nisi Israelitis injuncta; plurima praeter haec hominum arbitrio, non Dei mandato sancita. Itaque, cum omnia, quae magistrorum auctoritas sanxisset, promiscue commendarent nec a divinis humana secernerent; cum ea quae magis consuetudinis vi inducta et temporum diuturnitate firmata, aut tolerata a Deo, quam legibus divinis constituta vel corroborata essent, tanquam necessaria prae-

k) Intelligitur simul ex hoc loco simili, recte teneri lectionem ἃ ΜΗ ἑώρακε; quamquam negandi particulam μὴ omittunt codices non contemnendi, in quibus est Alexandrinus et Claromontanus, cum versione Coptica versionibusque aliquot et scriptoribus latinis. Etiam in alio simillimo loco 1 Tim. VI, 4 est μηδὲν ἐπιστάμενος.

Digitized by Google

cepta ingererent, ut vota Nasiraeorum suscipienda et ejus generis alia; cum Christianis, a legis Mosaicae vinculo per Christum liberatis, antiquata praecepta, et vero etiam iis, qui stirpe de Israelitica non essent, haec eadem, quae Judaeis, religione servanda obtruderent: *caeci* erant ipsi *caecorum duces*, ut ait Christus, qui, ut Paulli verbis utar 2 Cor. III, 13, velo quasi earum tabulis obducto impediti, non videbant, quo tenderet lex antiquanda (τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου γράμματος). Et vel sic tamen, pergit Paullus, hujus modi caecus dux est εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *frustra* s. stulte *elatus mentis suae imbecillitate*. In vocabulo σαρκὸς satis constat significationem esse infirmitatis, ut νοῦς τῆς σαρκὸς bene possit de imbecilla mente explicari. Quamquam nec ineptum esset, τὴν σάρκα, ut aliis in locis, de lege Mosaica accipere et νοῦν ad ejus intelligentiam referre q. d. *elatus intelligentia* exquisitiori *legis Mosaicae*. Sed illud, quod ante putabam, magis placet. Respondet enim planissime loco 1 Tim. VI, 4. 5. quo nihil potest nostro similius esse, ubi Paullus τετύφωται, inquit, μηδὲν ἐπιστάμενος, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας, *inflatus est etsi nihil scit* l) *sed la-*

l) Sunt haec eadem cum nostris εἰκῇ φυσιούμενος, ut vel sic εἰκῇ cum φυσιοῦμαι conjun-

Digitized by Google

borum rixis et controversiis legalibus[m]), e *quibus nascuntur* παραδιατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν, *ineptae disputationes perversa mente hominum.* Hoc e genere Pharisaei erant, qui, teste *Josepho*[n]), existimabantur μετ' ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα, sibi tribuentes *clavem intelligentiae*, ut Christus ait Luc. XI, 52, molestissimaque onera auditorum humeris imponentes Matth. XXIII, 4. Sed illa universa disputatio Christi ita accuratam continet hujus modi doctorum Judaicorum descriptionem, ut possit pro commentario in locum nostrum esse. Omittimus reliquam partem descriptionis Paullinae v. 19, ubi talis dicitur *non tenere* s. sequi Jesum Christum tamquam unice verum

gendum videatur, non, quod *Heumannus* perspicuum putabat, cum superiori verbo ἐμβατεύων, q. d. *frustra progreditur ad harum rerum investigationem.*

m) *Λογομαχίας* vix dubito tales rixas super legibus Mosaicis esse; λόγοι quidem etiam de legibus dicuntur, ut οἱ δέκα λόγοι *decem praecepta.* Certe, quas Paullus 2 Tim. II, 14. λογομαχίας appellat, eae sunt, cum iisdem plane attributis, μάχαι νομικαὶ Tit. III, 9; quamquam non impedio, si quis malit *controversias de doctrina;* de verbis certe rixas non intelligit, nec, quae fuerint istae, posses dicere.

n) *de bello Jud.* II, 8. extr.

Digitized by Google

magistrum, qui tamen *sit caput*, *ex quo universum corpus* (Christianorum), *conjunctum illud per juncturas et vincula, ab eoque quasi vim vitalem trahens* (ἐπιχορηγούμενον, cui, quae sunt ad incrementum necessaria, sufficiuntur), *crescit incremento quodam divino.* Quorum in promtu est verborum sensus, ab aliis satis illustratus; restant autem alia eaque difficiliora, quae videntur subtiliorem interpretationem postulare.

Nempe v. 20. seqq. admonitionem e superioribus ducit Apostolus, cujus vim ut recte assequamur, haec observanda videntur. Ἀποθανεῖν ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, est *abdicare se Judaismi signis* s. caerimoniis omnique cultu externo, quem sive lex Mosaica introduxisset, sive addidisset inepta sedulitas Judaeorum. Σὺν τῷ Χριστῷ est: eo quod Christum magistrum admisistis s. facti estis Christiani. Κόσμος, ut saepe alias, *profanitas* s. ipsa religio ac potius superstitio Judaica est, hactenus, quod Judaei, sive suum sensum sequerentur et adderent ad leges per Mosen datas eas, quas ipsi sibi praescripsissent, nec Dei sed humano consilio ducerentur, sive in alienum sensum detorquerent legum divinarum vim, etiam id, quod profanum esset, sacrum divinumque putarent. Δογματίζεσθαι, quis, memor universae orationis, unde haec Paulli admonitio manavit,

dubitare potest, esse: illa δόγματα s. decreta sensim vel admittere, quae v. 14. commemoraverat Paullus h. e. praecepta institutaque Iudaica. Τὸ ζῶντες ἐν Κόσμῳ sejungenda sunt ab iis quae antecedunt et sequuntur, *tamquam qui viveretis adhuc in Judaismo*, ita ut κόσμος referatur eodem sensu ad στοιχεῖα τοῦ Κόσμου quae modo dixisset Paullus, et ζῆν ἐν τ. κ. ad ἀποθανεῖν, e quo hic sensus nascitur: *Si mortui estis* s. abdicastis vos, *olim*, *cum Christum magistrum amplecteremini*, *profanis Judaismi ritibus*, *quid est quod nunc eosdem amplectamini*, *tamquam qui adhuc in ista profanitate viveretis?* Sed haec alibi copiosius tractata sunt a nobis et confirmata [o]).

Iam ea quae sequuntur, ita videntur constituenda, ut primum verba μὴ ἅψῃ – τῇ ἀποχρήσει inter se conjuncta uncis includantur, sic, ut contineant et exempla talium δογμάτων in iis verbis: μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, et Paulli his de decretis sententiam: ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει. Porro: κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων, conjungimus cum verbo δογματίζεσθε v. 20. Denique v. 23: ἅτινα ἐστὶ κ. τ. ἑξῆς retulerim ad ἐντάλματα. Hoc igitur vult Apostolus: *Quid suscipitis aut*

o) Opuscul. Fasc. II. p. 213. seqq.

fertis si quis vobis ingerit *ista decreta, qualia* sunt: *noli tangere, neve gustare, neve contrectare* hujus rei aliquid, quod est vetitum lege Mosaica veterumque praeceptis; cibos in primis interdictos, *quod omne perit tamen* s. conficitur *ipso usu; quae certe decreta proficiscuntur a praeceptis doctrinisque humanis atque habent quandam rationem sapientiae* etc.

Veniamus ad illustrationem propositae interpretationis. Conjungenda igitur putavimus, placet enim ab his ordiri, verba κατὰ τὰ ἐντάλματα ἀνθρώπων cum verbo δογματίζεσθε v. 20. Idque fecimus invitante simili conjungendi modo v. 8. Nam, quem ad modum ibi verba κατὰ τὴν παράδοσιν τ. ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχ. τ. κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστὸν referebantur ad συλαγωγοῦντας διὰ τῆς φιλοσοφίας, ad *auferentes alios per philosophiam*; sic nostro in loco aequum est κατὰ τὰ ἐντ. τ. α. referri ad δογματίζεσθε; sunt enim profecto οἱ δογματίζοντες iidem qui in illo loco οἱ συλαγωγοῦντες, h. e. Judaicorum institutorum patroni. Qui aliter conjunxerunt illa verba, ii igitur non potuerunt quin in contortas sententias inciderent. Quod quidem contigit *Oedero* p), existimanti, verba κατὰ τ. ἐντάλματα usque ad illa καὶ

p) *Animadverss. sacrarum* p. 300.

Digitized by Google

ἀφθαρσίᾳ σώματος, secernenda a ceteris esse, et, quae sequuntur, οὐκ ἐν τιμῇ κ. τ. λ. copulanda cum istis ἅ ἐστι πάντα ἀποχρήσει, q. d. eae res abusu cedunt in perniciem, minime vero moderato usu, quantum requirit corporis necessitas. Sed, ut erat duriori interpretandi modo assuetus, non animadvertit, ἐν ἀφειδίᾳ σωμ. et ἐν τιμῇ perspicue disjuncta esse nec separari igitur ullo modo posse. Alius q) verba, κατὰ τ. ἐντ. κ., conjuncta cum antecedentibus, ἅ ἐστι πάντα ἀποχρ., ita convertebat, *hae res peruertunt universos, qui iis utuntur, si quis rem judicat secundum praecepta humana.* Praetermitto versionis ambiguitatem, φθορὰ quidem male de perversione accipitur, cum habeat longe alium sensum, quem statim declarabimus.

Nempe, si vera sunt, quae de conjunctione horum verborum κατα τ. ε. cum verbo δογματ. diximus, sua sponte intelligitur, quae his interjecta sint, μὴ ἅψῃ — ἀποχρήσει, uncis concludi a cetérisque separari debere. Priora illa, μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, imitari sermones Judaeorum, qui vellent, ut quisque sibi ab interdictis in lege Mosaica caveret, jam *Erasmo* est observatum, Gro-

q) *Leutwinus* qui 1787 edidit: *Apostolische Briefe erklärt aus den Religionsmeynungen des ersten Jahrhunderts*, Tom. III. p. 804.

αὐτὸ atque etiam illis; nec intercedam si quis nolit haec omnia ad cibos prohibitos, sed sive ἅπτειν, sive θιγγάνειν ad consuetudinem veneream trahere; quamquam omnia mallem de cibis intelligere, quorum quidem mentio facta erat v. 16, ceterorum non item; nec, quae sequuntur ἅ ἐστι π. τ. φθ., aliter quam de cibis intelligi possunt. Etsi enim non ignoro, esse permultos, qui φθορὰν de interitu s. pernicie interpretentur; et ἅ ἐστι vel ad cibos referant, qui noceant per abusum, vel ad δόγματα, quae noxia sint iis, qui ea probent et sequantur: illa tamen sententia, vix potest intelligi, quam hic vim habeat; neque enim de ciborum abusu aut usu nimio vel Paullus volebat dicere vel Judaismi patronus, sed de eo quaerebatur, an omnino esset ab istis cibis abstinendum, quos Moses interdixisset? Qui autem verba volunt ad δόγματα spectare, vel uno tenore legunt: ἅ ἐστι π. εἰς φθ. τῇ ἀποχρ. κατὰ τὰ ἐντάλματα κ. δ. τ. ἀ., vel haec, κατὰ τὰ ἐντ., concedunt, cum verbo δογματίζεσθαι conjungi debere. Hoc videbatur *Heumanno*, non item mihi. Neque enim a me impetrare possum ut credam, Paullum, si his ipsis verbis de *doctrinis* adversariorum judicare voluisset, post demum in verbis κατὰ τὰ ἐντάλματα repetiturum fuisse, quales essent istae doctrinae, nec potius hanc dogmatum descriptionem ipsi de his judicio sive senten-

tiae praemissurum, hunc fere in modum: τί δογματίζεσθε (μὴ — θίγῃς) κατὰ τ. ἐντάλμ. κ. δ. τ. ἀνθρώπων; ἅ (ἐντάλμ.) ἐστι πάντα εἰς φθ. τῇ ἀποχρ., λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας κ. τ. λ. Longe facilior est altera superior ratio verborum, ἅ ἐστι usque ad ἀνθρώπων, uno tenore legendorum, quam commendavit *Rosenmüllerus* V. V. r), eamque non dubitarem probare, nisi me deterreret id, quod ante dixi, κατὰ τ. ἐντάλματα rectius cum verbo δογματίζεσθαι conjungi debere. Itaque facile assentior graecis interpretibus, *Theodoreto*, *Oecumenio*, *Theophylacto* nostrorumque hominum quam plurimis, qui verba accipiunt in hanc partem: hi omnes cibi, tantum abest ut polluant vescentem, ut potius *ipso usu pereant* sive conficiantur; plane ut docebat Christus Matth. XV, 17. v. 8? *quod ingeratur in os*, in *ventrem secerni atque ejici, nec hominis animum inquinare.*

Cetera, quae v. 23 comprehenduntur, jam dixi, sententiam Apostoli super praeceptis humanis continere. *Quae praecepta rationem quidem habent sapientiae, sed hujus tantum (sapientiae) quae cernitur s. continetur commenticia religione et temulentate victus et severitate in corpus, non cura qua-*

r) in *Scholiis* ad h. l.

Digitized by Google

dam corporis, quae ei *saturando* praesideat. Λόγον, dubitari non potest, esse *rationem* h. e. speciem, umbram, id quod videtur, non est, ut *ratio aequitatis* apud *Ciceronem* pro opinata aequitate; alias μόρφωσιν dicit Paullus 2 Tim. III, 5, non δύναμιν εὐσεβείας, simulatam, non veram, probitatem. Σοφία eadem est, quae versu 8 φιλοσοφία, aut 1 Tim. VI, 20 ψευδώνυμος γνῶσις, intelligentia, quae nomen mentitur suum, eorundem plane hominum qui, dum acutius se videre quod rectum esset, accuratius penetrare in sensum legum divinarum, consulere hominum saluti suadendo dissuadendoque putabant, stultitiae rei tenerentur. Particula ΕΝ, quam video torquere interpretes, definiendi habet s. declarandi vim ita, ut ostendat, quanam in re posita haec sapientia videatur, ut Eph. II, 15 ἐντολαὶ ἐν δόγμασι, praecepta quae arbitrariis institutis continentur, et similia. Ἐθελοθρησκεία non est, quod paene omnes volunt, arbitrarius, ab ingenio humano excogitatus, non ab ipso Deo praescriptus aut probatus cultus, (ein selbsterwählter Gottesdienst;) quo modo enim afferi verbo aut doceri per usum loquendi haec vis vocabuli posset? nec sponte assumtus, quem quis animo consentiente, non per vim coactus, sequatur, quamquam non repudio exempla similium graecorum verborum, quae *Erasmus Schmidius* ad h. l.

congessit; sed, quod bene monuit *Ernestius* ὁ μακαρίτης a), *commenticia religio*, cultus quo quis sibi ipse placet, qui excellere putante, plus praestare cupit quam potest vel debet, ad analogiam similium verborum, qualia sunt ἐθελόπονος, qui cupide laborat, nimis laboriosus, ἐθελαστεῖος elegantiae nimis studiosus, et hujus generis plura; quibus addiderim ipsum hoc verbum in epistola episcoporum Orientalium b), qua Cyrillum conquerantur scripsisse κεφάλαιά τινα μὲν ἀναθεματισμῶν, μετὰ πάσης ΕΘΕΛΟΘΡΗΣΚΕΙΑΣ h. e. ut mihi quidem videtur, ita ut singularem pietatem in religionis puritate servanda aut orthodoxia defendenda simularet. Ταπεινοφροσύνη cur de tenuitate in victu aut severitate in ciborum delectu intelligam, supra exponere me memini. Τιμὴ non honor est habitus corpori, sed ejus cura, ut 1 Cor. XII, 23 et alias, πρόνοια τῆς σαρκὸς Rom. XIII, 14 et genitivus σαρκὸς ad utrumque referendus h. e. ad τιμὴν et πλησμονὴν q. d. *non cura aliqua corporis*, quae ei satiando intenta sit.

a) Biblioth. Theol. Vol. X. p. 132.

b) in *Mansii* Collectione amplissima conciliorum Tomo IV. p. 1380. Est inter Theodereti epistolas CLXI. Edit. Halens. Tom. IV. p. 1331 sq.

Digitized by Google

Sed haec hactenus. Suscepimus autem hanc disputationem, quae nobilem illum Apostoli locum illustraret; ut vobis, *Humanissimi commilitones*, hoc tempore, quo inter nostros celebratur memoria Spiritus S. Apostolis tributi h. e. melioris cognitionis quam isti divina institutione consecuti fuere, opportunitatem praeberemus recolendorum beneficiorum, quae nobis quoque universis contigerunt, ut, liberati ab errore commenticiae religionis, didicerimus, qua una re Deum colere possimus, atque persuasi esse, si unum Christum, tanquam caput corporis Christiani, teneamus; Eum imitemur, Istius disciplinae animos moresque accommodemus, in Eo uno confidamus, Deo gratiosos nos fore, eique, quidquid hac mente et animo fecerimus, probatum iri. Faxit Deus O. M. ut in hac sapientia et discenda et factis exprimenda studium nostrum per hos in primis dies versetur, ejusque fructus uberrimos et saluberrimos capiamus.

P. P. pridie Pentecost. d. xxx. Maii A. C. MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

IX.

IN LOCUM PAULLI APOSTOLI

1 Thessal. V, 19—22.

DISPUTATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ ΜΗ ΣΒΕΝΝΥΤΕ.
ΠΡΟΦΗΤΕΙΑΣ ΜΗ ΕΞΟΥΘΕΝΕΙΤΕ.
ΠΑΝΤΑ ΔΟΚΙΜΑΖΕΤΕ.
ΤΟ ΚΑΛΟΝ ΚΑΤΕΧΕΤΕ.
ΑΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΕΙΔΟΥΣ ΠΟΝΗΡΟΥ ΑΠΕ-
ΧΕΣΘΕ.

Paullus Apoſtolus 1 Theſſ. V, 19—22.

Quae aliis in locis Scripturarum ſacrarum ſingula pariunt interpretandi difficultatem, hoc quidem in loco paene univerſa videntur ejus perſpicuitati officere. Πνεύματος verbo vix quidquam obſcurius eſt propter multiplicem ancipitemque vim, varietatemque rerum, quarum exprimendarum cauſſa uſurpatur; atque in definienda vi προφητείας, quae ſit cuique N. Teſtamenti loco propria, nemo eſt qui ignoret quam inter ſe variis ſententiis diſſideant interpretes. Tum illud: *Spiritum reſtinguere*, quam eſt inſolens et

explicatu difficile, si quidem quaeritur, unde sit ductus loquendi modus, aut certa requiritur ratio, quam in explicando tropo sequamur? Nihil praeterea praesidii ab orationis contextu peti posse videtur; neque enim continuo cursu fluit Paulli oratio, ut in ceteris epistolarum partibus, sed brevibus et concisis sententiis continetur, in quibus nulla inter se conjunctio apparet. Quae omnes difficultatis caussae cum magnam in interpretando discordiam pepererint; nec ipsi harum sententiarum interpretes semper curiosi fuerint rationis reddendae, cur hoc illove modo acciperent Paulli verba, sed satis habuerint, bonum fortasse, nec tamen certum, sensum exprimere: quam multa desiderentur in hac caussa relictaque sint novae interpretis diligentiae, facile omnes intelligent.

Quidni igitur operae pretium sit, omnem hunc locum accuratius retractare; in quo si vel ceteris destituamur interpretandi adjumentis, videndum est tamen, an sit aliquid ad obscuritatem depellendam praesidii in aliorum Paullinorum locorum similitudine. His ducibus ubi ad certum aliquem sensum delati fuerimus, eumque cum usu loquendi consentientem, aperietur fortassis quaedam ipsarum sententiarum conjunctio; quae si ad vim verborum alias frequentatam similiumque locorum auctoritate confirmatam accesse-

Digitized by Google

tit, quid est quod ad reperti sensus certitudinem amplius requiri possit?

Πνεῦμα igitur, quod est in illo: τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, satis constat esse in sacris libris de omni eo, quo quis, ut ita dicam, animatus sit, sive aliqua recte cognoscendi aut appetendi fugiendique facultate, sive ipsa veri intelligentia aut amore ejus quod bonum rectumque est, praesertim alfiore aliquo animi motu in utramque partem, contineatur, tum quidem maxime cum a Deo profectus sit aut putetur; quo fit ut de ipsa quoque vi divina dicatur, quae hominem quocunque modo moveat, aut rebus omnibus, quibus ad homines docendos impellendosque utatur. Sic πνεύματι omnis recta intelligentia voluntatis divinae tribuitur 1 Cor. II. et Paullus, cum prudentia sua consuluisset lectoribus, se profitetur etiam Πνεῦμα Θεοῦ habere 1 Cor. VII, 40; nec in loco posterioris epistolae ad Thessalonicenses, in quo jubet cavere, ne perterreantur διὰ Πνεύματος, sic ut metuant ne instet Dies Christi, 2 Thess. II, 2, aliud quidquam significasse videtur, quam Jesu Christi ipsius oraculum Matth. XXIV. inprimis v. 34., quod eodem modo repetitur a πνεύματι, quo is ipse Davidem dixerat ἐν πνεύματι Christum Dominum

Digitized by Google

appellaſſe ſuum, Matth. XXII, 43 a). Cur autem in loco noſtro πνεῦμα interpretemur in hanc partem, ut putemus illud complecti vim divinam Chriſtianis propriam; hoc eſt quidquid rerum divinarum, Deo ita providente, cognoviſſent, in cauſſa eſt locus 2 Timoth. I, 6., ſi quidem conferatur cum contextu orationis ejus, cujus pars eſt locus is, de quo quaerimus. Namque Paullus ibi Timotheum adhortatur, ut ſtudeat ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ; ſimilitudinemque utriuſque loci concedent omnes, qui verbum ἀναζωπυρεῖν in illo, et σβεννύειν in noſtro, viderint disjuncta eſſe, quorum ex uno alterum interpretari in promtu eſt. Sed de utroque verbo poſthaec. Nunc id modo volumus nobis dari, quod eſt in loco noſtro πνεῦμα, id in illo altero χάρισμα appellari. Quod quo ſenſu pro πνεύματι ſubſtituatur (eſt enim vis verbi πνεύματος multiplex admodum et varia, ut ante dicebamus), videamus tenorem et quaſi ingenium univerſi loci, cujus partem habemus in noſtro. Nempe poſt omnia praecepta 1 Theſſ. V, 12 ſeq. addit Paullus v. 18: τοῦτο γὰρ θέλημα Θεοῦ ἐν Χριστῷ εἰς ὑμᾶς, *haec a vobis fieri vult Deus, idque per Chriſtum nobis ſignificavit.* Atqui his verbis ſtatim ſubjicitur ſententia

a) Vide, ſi placet, noſtra Opuſcula, Faſciculo II. p. 264.

cujus vim quaerimus: τὸ Πνεῦμα μὴ σβέννυτε. Quare, quid est magis consentaneum omni isti orationis tenori, quam hoc, πνεύματι hic contineri omnem voluntatis divinae intelligentiam, quam Christiani essent per Christum consecuti? Atque hoc nos speramus confirmaturos per alium quamquam subobscurum locum 1 Cor. XIV, 32, in quo Paullus: πνεύματα, inquit, προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται. Πνεύματα ibi haud dubie sunt pro χαρίσμασι. Loquitur enim Apostolus in illa universa disputatione de recto donorum usu, qui doceret τοὺς ζηλωτὰς πνευμάτων h. e. eos, qui illorum cupidi essent donorum s. ut ea consequerentur, magno studio contenderent; commendaverat etiam his ipsis τὸ ζηλοῦν τὰ χαρίσματα, optima (τὰ κρείττονα) videlicet h. e. ad aliorum utilitatem referenda. Tum πνεύματα προφητῶν posita sunt pro ipsis προφήταις h. e. doctoribus, qui ornati hujus modi dotibus essent, sive λαλοῦσι πνεύματι vers. 2.; hosque vult Paullus cedere (ὑποτάσσεσθαι) doctoribus i. e. aliis quoque, qui docere velint publice, locum dicendi concedere. Sed cujusnam generis sunt ista πνεύματα s. χαρίσματα? Nempe v. 30 dixerat Paullus: *si cui assidenti* h. e. audienti, quae alter doctor disputabat, *veniret in mentem aliquid*, rerum divinarum scilicet (ἐὰν ἄλλῳ προφήτῃ ἀποκαλυφθῇ), tacere ante, quam hic declamaret, illum de-

Digitized by Google

bere et huic locum facere. Itaque πνεῦμα, perspicue intelligitur esse ibi de his, quorum mens esset collustrata divinitus s. quibus aliquid pertinens ad voluntatem Dei venisset in mentem; hoc enim sensu illud ἀποκαλύπτεσθαι semper est in N. Test. libris. Dignus autem in primis est hic locus 1 Cor. XIV. quem lectores teneant. Nam eadem complectitur omnia, quae loco nostro continentur, quem ad illustrandum illo postea quoque utemur.

Sed quid est σβεννύειν τοῦτο τὸ πνεῦμα, Spiritum *exstinguere?* Id quidem aperit alter ille locus, quem paullo ante e posteriore Paulli epistola ad Timotheum excitavimus. Etenim si, quod nemo dubitat, verbum ἀναζωπυρεῖν, quo usus ibi est Paullus, idque verbo σβεννύειν plane contrarium, habet *refocillandi* h. e. excitandi inflammandique significationem; *exstinguere* illud donum, quid possit esse aliud, quam: *negligere*, quasi sepultum non excitare, seque ab omni ejus usu cohibere, non adhibere, ut ait Paullus 1 Cor. XIV, 12., πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας, sive non sic, *ut omnes discant, omnes edoceantur* v. 31. Ducta est ista imago, ut nobis quidem videtur, nec e praecepto Mosaico Levit. VI, 12, 13. quod vetat negligere ignem accensum in ara jubetque cavere ne umquam exstinguatur,

Digitized by Google

nec e Joannis Sermone Matth. III, 13., qui praedixerat fore ut Messias suos *Spiritu* et *igne* initiaret; quamquam rectius videretur Paullus imaginem duxisse ex his, quae propius abessent a disciplina Christiana, Judaeorumque animos ad hanc suscipiendam praeparare deberent, quam ab illa Mosaica, quae ne perspicuam quidem, aram inter illam et Christi discipulos, similitudinem offert. Impedit tamen deterior sensus ac potius imago, quae igne isto in loco Matthaei continetur b),

b) Sumimus quidem veritatem lectionis: καὶ πυρὶ, quam in glossis temere adspersis numerandam non esse, praeter alios, nuper admodum, ut solet, diligentissime docuit *Griesbachius* V. Ven. (in *Commentario critico in textum graecum N. T.* Particula I. p. 25—30. Eam igitur solent vel in mitiorem vel in acriorem partem interpretari. Atqui hanc sententiam, quae βαπτισμὸν ἐν πυρὶ refert ad mala et poenas, quibus Joannes dicit fore, ut Deus s. Christus ulciscatur Judaeorum contumaciam, non dubitamus praeferre alteri illi, quae beneficium quoddam, cujuscunque tandem generis sit, putat hac formula contineri. Nam, ut praetermittamus hoc, quod haec mitior sententia difficilem habeat interpretationem, quid ista severa castigatio morum Judaicorum, Pharisaeorumque et Sadducaeorum increpatio versu 7 seqq. aliud exspectare jubet in illa *ignis* imagine, quam magnam vim dolorum quibus se obnoxios aquae lu-

quo minus illud Joannis dictum Paulli animo observatum esse credamus. Rectius fortassis respexerit Paullus ad locos sacrorum

stralis contemtu reddidissent? Praesertim, cum statim post hunc igneum veluti baptismum v. 12 Christum dicat frumentum a stramine (τῶ ἀχύρω) separaturum, illud in horreum translaturum, hoc igne numquam exstinguendo combusturum. Nec alio quam deteriore sensu frequentant hanc formulam Judaei, id quod magna copia locorum demonstrarunt *Conradus Ikenius* (*dissertatt. philol. theologicis* conjunctim editis Lugd. Bat. 1749. 4. diss. XIX. p. 326 sq.) et *J. Jac. Wetstenius* (notis ad h. l.) Quin et ipse Jesus Matth. XX, 22. 23. cum ex Apostolis quaerit: possintne sive velint haurire poculum, quod ipse hausturus esset, aut, quo esset ipse mergendus, eodem quoque baptismo mergi? quid aliud significasse putetur, quam mala, quae secum communiter experiri Apostoli deberent, coll. cap. XXVI, 42? Quod si ita est, praeclare intelligitur, cur βαπτισθῆναι ἐν πυρὶ nec apud Marcum commemoretur cap. I, 8, nec in Joannis Evangelio c. I, 33, nec apud ipsum Lucam Act. I, 5, qui omnes una illa phrasi βαπτίζεσθαι ἐν πνεύματι ἁγίω utuntur, cum tamen, praeter Matthaeum, Lucas Evangelii cap. III, 16 in Joannis Baptistae sermone utrumque ἐν πνεύματι ac ἐν πυρὶ conjunxerit. Nempe in omnibus illis superioribus Marci, Joannis et Lucae commentariis, nihil quidquam de Judaeorum perversitate narratur, quod

Digitized by Google

librorum V. T. eos, qui Deum ajunt victimas igne caelesti tetigisse, ut sibi eas probatas declararet, veluti Levit. IX, 24. Judic. VI, 21. 1 Reg. XVIII, 38. 1 Paralip. XXI, 26. 2 Paral. VII, 1—3. Nam quem ad modum Paullus non dubitat se dicere Deo gentes, ad Christi disciplinam deductas, tamquam *victimam probatam eamque per Spiritum sanctum consecratam* (προσφορὰν εὐπρόσδεκτον, ἡγιασμένην ἐν Πνεύματι ἁγίῳ), obtulisse Rom. XV, 16. omniaque bene a Christianis facta appellare *victimam* quasi *fragrantem, acceptam et probatam Deo* (ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ) Phil. IV, 18. quidni ad eam rem exprimendam usus fuerit imagine tactae de coelo et incensae victimae; satis illa frequentata in libris sacris Judaeorum, hoc est pectoris ad omnem virtutem inflammati? quo quidem efficeretur, ut *Spiritum* s. divinam illam vim, caelestem veluti ignem quo exarsissent, *exstinguere*, nihil aliud esset, quam illam vim Numinis negligere neglectoque usu et exercitatione frangere.

occasionem severiori objurgationi aut diris obnunciandis dedisset; itaque nec βαπτισμὸς ἐν πυρὶ commemorari poterat; quod longe secus est in locis Evangeliorum Matthaei et Lucae cap. III., quorum uterque Joannem Baptistam narraverat morum atrocitatem in Judaeis, additis minis, acriter vituperasse.

Digitized by Google

Sequitur illud: Προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε; quod neque de vaticinantibus h. e. praesagientibus futura et edicentibus potest intelligi, neque de iis, qui facultatem habent praedicta in sacris Scripturis, omninoque horum librorum sensum, interpretandi. Quam quidem interpretationem aut sensus reperiendi tradendique vim, quo modo docebunt unquam inesse in isto προφητείας verbo? nam sumere, sic usurpatum esse verbum in sacris libris, quod scio tantum non ab omnibus fieri, nulla ratione allata, non licet, nisi in temeritatis suspicionem velimus incurrere. Quid est autem caussae, cur Paullum hic de vatibus colendis observandisque praedictionibus rerum futurarum locutum esse credamus? cujus rei nulla ratio aut apta conjunctio cum ceteris, quas adhibet, admonitionibus, reperiri potest; praesertim cum ita alienus sit Paullus in his ad Thessalonicenses epistolis a commendatione studii in vaticinationibus requirendis positi, ut castiget etiam hoc studium, quo Thessalonicenses Christiani in vanissimum metum conjicerentur, 2 Thess. II, 2. Atqui hic ipse locus, quo vult cavere, ne vel διὰ Πνεύματος, vel διὰ λόγου vel δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν perterreantur, aliquam dat ansam suspicandi, inesse in hoc loco aliquid luminis, quod vel ad nostri loci collustrationem adhiberi possit. Etenim πνεύματος vocabulum, quod est utrique loco commune, no-

ſtro in loco erat omnis ſive facultas ſive ſenſus, ſive inſtitutio, quae Chriſtianis a Deo contigiſſet; quod idem eſt in altero loco 2. Theſſ. II., quamquam ibi nominatim eſſe videtur de Jeſu Chriſti oraculo Matth. XXIV. quo de inſtanti adventu Chriſti, de παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου verſ. 1., de συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος eſſent admoniti; ut λόγος et ἐπιστολὴ ὡς δι' ἡμῶν id, quod a Paullo ſive per orationem coram habitam ſive per epiſtolam ab eo ſcriptam ad eos inſtituendos factum eſſet; ſic quidem haec intelligi debere, niſi nos omnia fallant, alias nos demonſtrare meminimus c). Itaque, quem ad modum πνεῦμα in utroque loco eodem occurrit ſenſu, ſic pariter προφητεία in loco noſtro videtur accommodate ad illa: διὰ λόγου ἢ τῆς ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, accipienda eſſe, ita ut προφητεία ſit omne, quidquid ex doctoribus (προφήταις), omninoque ex aliis hominibus, didiciſſent, ut πνεῦμα, quidquid non ex ore ſcriptiſve eorum, ſed ipſi e Dei inſtitutione hauſiſſent, veluti e Chriſti ipſius, quod diximus, oraculo.

Sed planius hoc, quod volumus, atque certius cognoſcetur e loco 1 Corinth. XIV, quem ſupra diximus fundum et quaſi fontem eſſe interpretationis loci noſtri earumque rerum, quae in eo tamquam tenebris involutae jacent. Neque vero ſic uti-

c) Vide Opuſcula citata Tom. II. pag. 274 ſq.

Digitized by Google

mur illo ad Corinthios loco, ut, quem ad modum ibi Paullus in primis commendat ſtudium προφητείας, eamque longe antepo- nendam dicit ceteris omnibus χαρίσμασι, no- minatim facultati animi ſenſa variis iiſque barbaris linguis exprimendi, ſic προφητείαν noſtro in loco eundem in modum accipia- mus, id quod videbatur *Launaeo* d) accu- ratiſſimo interpreti, fortaſſis etiam aliis. Nam illa προφητεία, quae tantis laudibus celebra- tur 1 Cor. XIV, eſt facultas perſpicue et ad intelligentiam vel rudium auditorum accom- modate loquendi, in primis lingua illis ver- nacula, non alia aut pluribus aliis, quae cognitae eſſent atque perſpectae iis, qui li- teris eruditi eſſent et variarum gentium dia- lectis audiendo uſurpandoque aſſueti. Quae verbi ſignificatio ſi ad locum transferretur noſtrum, quem quaeſo daret ſenſum, ſi quis προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε verteret: dotem perſpicue loquendi, cavete, ne aliis poſtpo- nendam putetis? aut quo conſilio haec Paul- lus ſcripſiſſe exiſtimaretur? Sed in iſta diſ- putatione 1 Cor. XIV. ejuſque verſu 29—32, quem praecipue ſequimur, προφήτας univerſe dicimus eſſe omnes, qui doceant aut docere poſſint; quo ſenſu nemo neſcit hoc verbum cum conjugatis quam maxime in N. Teſt. frequentari; quamquam neque ignoramus

d) Paraphraſe et Expoſition ſur les epiſtres de St. Paul, par *Pierre de Launay*. Cap. II. p. 436.

Digitized by Google

neque diffitemur, hoc verbum in illa disputatione Paullina, ubi quidem ἡ προφητεία disjungatur a γλώσση, sive οἱ προφητεύοντες ab iis qui γλώσση λαλοῦσι, adjunctam habere vim perspicue loquendi h. e. vernaculi sermonis adhibendi omninoque ea lingua utendi, quae ab auditoribus, vel sine interprete, intelligi possit. Iam, si in illo loco, haud dubie nostro, uti diximus, simillimo προφῆται sunt ii, qui alios docere, aut e quibus alii discere possint: quid impedit, quo minus haec: προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε vertamus: *nolite contemnere quae alii vos possint docere?* h. e. multarum quidem rerum cognoscendarum facultatem habetis ipsi, cognoscendaque vobis Deus dedit quam plurima, quae nullo modo negligi oportet sed cavere quo minus obsolescant (τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε); nec tamen licet contemnere aut nullum fructum capere eorum quae ex aliis possitis discere (τὰς προφ. μὴ ἐξουθενεῖτε). Nam in loco illo 1 Cor. XIV, 29 sq. dixerat Paullus: *προφῆται bini aut trini*, quavis in concione Christianorum, *loquantur; quod si autem alii cuidam adsidenti* h. e. audienti, *venerit in mentem* quod proponere velit, *taceat qui prior locutus est*, et locum dicendi illi alteri faciat; *licet enim omnibus, uni post alterum, docere*, ut *omnes*, etiam qui ipsi docere possint s. προφητεύειν, *discant* et *omnes instituantur;*

Digitized by Google

quare, ut est in loco nostro, nec πνεῦμα negligatur, nec προφητεῖαι contemnantur.

Προφήτας autem professi sumus vel proprios *doctores* esse posse, vel omnino, qui docere, e quibus vel alii discere possint. Itaque dupliciter posses haec: προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε, interpretari. Primum sic, ut Paullus auditores s. lectores aut laicos, (si cui hoc nomen magis placet) cohortetur, ne *doctores* non audiant, sed cupiant eorum sapientia frui; quod quidem bene consentiret cum his, quae paullo superius v. 12, 13, dixerat: *rogamus vos ut suspiciatis laborantes inter vos, vobisque per Dominum praefectos eosque vos admonentes, atque ut eos praecipue vestro amore dignos habeatis;* efficeretque ut illud: πνεῦμα μὴ σβέννυτε ad propriam intelligentiam referretur, hoc autem: προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε ad fructum e doctorum sermonibus capiendum. At aliam quoque in partem accipi possunt, ita videlicet, ut πνεῦμα μὴ σβέννυτε quidem, sicuti modo dicebamus, capiatur de eo quod quisque Christianus ipse reperisset aut suo ipse sive ingenio sive diligentia consecutus esset, alterum autem: προφ. μὴ ἐξουθενεῖτε de eo, quod ex alio quocunque sive non modo e doctoribus, sed e ceteris cujuscunque generis Christianis posset discere. Quem quidem sensum praeferimus alteri. Neque enim intelligi potest aut quaedam caussa afferri, cur uti tantum doctorum institutione debuissent,

Digitized by Google

non item aliorum; si quidem non modo doctores proprii, sed ceteri quoque (latcosi si ita videtur, diceres) χαρίσμασι ornati essent, ut Cornelius Centurio ejusque domestici Act. X, 44. 45., qui in doctorum numero nequaquam habebantur, quamquam et hos, non muneris publici caussa, sed propter docendi facultatem, non gravatur Lucas *prophetarum* nomine decorare Act. XIX, 6. Quin et ipse Paullus 1 Cor. XIV, 32. προφήτας appellat eos, quibus, ut est vers. 30., tamquam assidentibus s. audientibus aliquid rerum divinarum in mentem venisset, qui propterea *omnes* possent προφητεύειν, ut *omnes* discerent v. 31.

Sed addit Paulus in loco nostro: Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε, *omnia examinate, quod bonum est tenete*. Id quod iterum consentit cum loco aliquoties commemorato 1 Cor. XIV, 29, ubi Paullus jubet, ut, quae prophetae dixerint, a ceteris judicentur (προφῆται λαλείτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν). Poterant enim illi de suo aliquid addere iis, quae alias divinitus edocti didicissent, suumque identidem ingenium magis quam doctrinam Christianam sequi. Itaque debebant a ceteris, qui hoc animadvertissent non consentaneum esse Christi disciplinae, castigari atque in rectam viam reduci. Idem igitur hic praecipit Paullus, quod Lucas laudat tamquam liberalis animi significationem, in Beroeensibus, Thessalonicen-

ſium vicinis, Act. XVII, 11, qui non ſimpliciter fidem habuerant Paullo quamquam divina tradenti v. 13, ſed perquiſiverant Scripturas, utrum ſic haberent, Paulloque dicta conſentirent cum iis, quae ſibi divinitus perſpecta eſſent.

Neque vero dubitamus ea, quae porro Paullus Theſſalonicenſibus injungit: Ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε, conjungere cum ſententiis, quas modo illuſtravimus; quod quidem jam aliis, veluti *Koppio*, placuit. Namque et ita bene copulari poſſunt, ut ſtatim videbimus, et vel ſic locus noſter, ut in ceteris, egregie reſpondet illi ad Corinthios, in quo, quidquid jubet Paullus, commendat ab ordine ubique, etiam in concionibus Chriſtianorum, tuendo v. 33. 40, a fugienda diſcordia, ab exemplo aliarum Eccleſiarum imitando, quibuſcum, ut inter ſe, pacem et conſenſum quaerere conſervareque deberent, a ſuſpicione ſtultitiae, cujus accuſarentur ab hominibus profanis ſi vanitatis cupidiores eſſent quam utilitatis, v. 23, negligerentque vel concordia et ſapientia movere alienorum animos v. 24. 25., omninoque a ſtudio obſequendi aliis et commodandi, v. 26. In primis autem perſpicua nobis videtur in loco noſtro conſpiratio horum cum iis, quae modo anteceſſerant, quod miramur non occurriſſe interpretibus, certe non ſatis adhi-

bi-

bitum fuisse ad ordinem et sensum hujus sententiae constituendum. Planissime quidem τὸ πονηρὸν in hac sententia respondet τῷ καλῷ in superiori, ut ἀπέχεσθαι in hac, τῷ κατέχεσθαι in illa.

Atque haec quasi membrorum utriusque enunciati disjunctio aditum nobis facit ad judicium de ejus recte interpretandi modo. Sunt enim, et hodie quidem plerique, qui verba sic putent reddenda, ut fecit *Lutherus* praeeunte vulgato interprete: *abstinete ab omni malo*, ac potius: *mali specie (Meidet allen bösen Schein)* h. e. cavete, ne vel male agere videamini; alii, inter veteres quoque: *cohibete vos ab omni malorum s. vitiorum genere*, nihil quidquam agite, quod recti ac honesti legibus repugnet. Hoc quidem non invito loquendi usu; illud an graece dici possit dubito; εἶδος enim de forma dicitur aut viso, de omni quod cadit sub sensus, non item de eo quod non sit sed videatur, aut referat tantum alicujus rei formam. Sed, si vel hoc detur, ea tamen, quae diximus de verborum in hac et superiore sententia disjunctione, postulant profecto, ut in hanc partem interpretemur: tenete s. sequamini quod bonum rectumque est, fugite contra, quidquid sit malum aut perversum, h. e. non consentiens cum veritate voluntateque divina; cujus generis est neglectus virium intelligentiaeque usus, contemtus eo-

Digitized by Google

rum quibus proficere per aliorum ſapientiam poſſumus, temeritas in aſſentiendo, cum deberemus prius examinare quam probaremus aliorum ſententiam, ceteraque quorum antea mentionem fecerat Paullus.

Atque ſic perfecta illuſtratione Apoſtolicae orationis, nihil reſtat, niſi ut Vos, *Humaniſſimi Commilitones*, cohortemur, ut, ſicut in omni ratione ſtudiorum, ſic in primis per hos dies, quorum ſollemnitatem Vobis indicimus, non immemores beneficiorum, quae Vobis Deus conceſſit, quorumque ad omnes Chriſtianos pertinentium memoriam hoc maximo tempore recolimus, diligenter non modo utamini ſubtiliore rerum divinarum cognitione ejuſque augendae emendandaeque opportunitate, quam Academiae inſtituta praebent, ſed etiam, non contemnentes fructum, quem ex aliorum doctrina poteſtis capere, aſſidui frequentetis conventus ſacros eoſque publicos, in quibus haec beneficia proponantur diligenterque commendentur. Recte autem et ſalubriter tum capietis hunc fructum uberrimum, cum omnia ad animi emendationem veraeque ſapientiae, quae ſtudio pietatis in DEUM et virtutis univerſae continetur, incrementum retuleritis. Id quod DEUS O. M. bene vertat.

P. P. in academia Fridericiana, pridie ſollemnit. Pentecoſtal. die XI. Maii A. C. MDCCLXXXXVIIII.

Digitized by Google

X.

ANIMADVERSIONES
IN SENSUM
LIBRORUM SACRORUM
MORALEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Quae ad librorum facrorum auctoritatem cum naturae intelligentis legibus conjungendam conciliandamque nuper admodum ab acutiffimo philofopho a) five aperta five reftaurata via, quaeque hoc ipfo confilio ab eo commendata fuit interpretatio illorum moralis, ita eft a quibufdam vituperata, ab aliifque defenfa, ut in multis illorum aequitas, in his mediocritas defiderari poffe videatur. Speramus igitur nos operae pretium facturos, literarumque ftudiofis, iifque harum rerum curiofis, commodaturos, fi, quid nobis de omni ifta cauffa videatur, breviter noftroque modo dixerimus, et vel fic elaboraverimus in eo, ut rectam et fructuofam librorum divinorum interpretationem incolumen fervaremus ac tueremur.

a) *Imm. Kantio* in libro: *Die Religion innerhalb der Grenzen der bloſsen Vernunft*, inprimis Sect. III. §. VI. Edit. II. p. 157—166.

Digitized by Google

Est autem haec omnis disputatio repetenda a discrimine, quod *Kantius religionem* inter et *fidem* constituerat, sive, ut ille loquitur, inter *fidem* quae *religionis propria* est *(reine Religionsglaube* s. *reine Vernunftglaube)*, hoc est, quae sola mente ac ratione nititur, omnibusque communis est qui rationis participes sunt, et inter *fidem, quae tribuitur Ecclesiae (Kirchenglaube)*, eamque communem omnibus, qui revelationem quandam divinam sequuntur. Sumserat enim ac demonstraverat in principio universae disputationis (Sect. III.): posse et vero etiam debere homines, ejus, quod rectum est, amantes, sic inter se conjungi, ut nullius virtuti insidientur, mutuam potius ac communem probitatem, quantum possent, universo et constanti virtutis studio adjuvent; — ex ista conjunctione nasci corpus quoddam sive societatem, quae solis virtutis legibus contineatur ac regatur, quale concilium coetumque possis *ethicum*, et, si quidem istae leges publicae sint, *ethicam rem publicam* appellare, atque hanc, *Ecclesiam* s. *Dei* quendam *populum*, si virtutis legibus, tamquam a Deo profectis ejusque auctoritate confirmatis, temperetur; — has denique leges, rem publicam sacram moderantes, vel *pure morales* vel *statutarias* h. e. vel natas cum natura, animisque humanis veluti a Deo inscriptas, vel quasi scita quaedam Dei, nobis

Digitized by Google

per revelationem significata esse, quae, nisi per scriptum librosue sacros, satis conservari non possint; ex his, fidem non nisi historicam aut ecclesiasticam *(historische s. Kirchenglaube)*, itemque cultum *(eine gottesdienstliche Religion)*, ex illis, propriam religionem *(Religionsglaube)* pietatemque in Deum existere.

Atqui, cum homines, inquit, naturali quadam imbecillitate ferantur ad ea, quae sensu percipi possint, nec in his acquiescant, quae una ratione intelligantur; fide illa (ecclesiastica), tamquam aliquo adminiculo oportet uti, si quidem ad communem religionem probitatemque colendam conciliari inter se debeant. Ex quo consequitur, eam revelationis, quae nobis contigerit, divinae interpretationem requiri, qua omnia dirigantur ad eum sensum, qui ubique cum universis regulis practicis purae religionis a ratione profectae consentiat. Sit sane hujus modi interpretatio dura; dummodo consistere cum textu interpretando possit, isti literali praeferenda est, quae vel nihil contineat, quod ad animum vitamque regendam faciat, vel adeo repugnet recte agendi principiis. Nec, qui ita hanc in partem interpretatur, non agit bona fide, si quidem talem sensum non profiteatur eodem consilio ac mente expressum a scriptore fuisse; sed

ſcriptum ita tamen intelligi poſſe. Ultimum videlicet, a quo ducenda ſunt omnia, quoque omnia referenda, id eſt quod rectum eſt; ſummum igitur illud etiam, quo divina revelatio agnoſcatur, ſitum eſt in eo, quod hujus modi ſcriptum ad hoc utile reperiatur. Quamquam ad illum interpretem *(Schriftausleger)* accedere oportet etiam eum, qui Scripturarum doctus ſit *(Schriftgelehrter)*, qui et inveſtigare divinam earum auctoritatem poſſit, rationemque, cur a Deo profecta putetur, et ſcienter atque ex arte earum ſenſum reperire; hic tamen doctrina bene imbutus ſubjectus (ſubordinatus) debet eſſe illi interpreti; et, quamquam duo ſunt, quae ſacrorum librorum interpretationem moderentur, *ratio* nimirum ſ. religio a ratione ducta, et *doctrina:* illa tamen unice *authenticus* eſt ſcripti divini interpres ab omnibuſque audiendus, haec tantum *doctrinalis* eſt et apta ad fidem certi cujuſdam populi certique temporis certo quodam et ſtabili ſyſtemate conjungendam.

Haec fere ſunt, quae viri celeberrimi ſententia de ea librorum ſacrorum interpretatione complectitur, quam, qui ejus diſciplinam ſequuntur, *moralem* ſolent dicere. Atqui, cum omnis interpretatio verſetur in reperiendo proponendoque orationis ſenſu, ſtatim intelligitur primum: *Kantium* non

Digitized by Google

eum dixisse *sensum*, qui proprie et in arte sensus appellatur. Namque hic continetur eo, quod Scriptor *consulto* voluit aliis per verba tradere. At ille profecto nec ignorabat, verum sensum numquam esse sine isto consilio posse, et planissime negat ipse (p. 161.), eum, qui sensum moralem tribuere sacris libris, nec alios fallere interpretando velit, dicere debere, quod fuerit omnino eorum auctoribus propositum, ut ea verbis exprimerent suis, quae ab iis dicta profiteatur; satis esse, si statuerit, eos ita *posse* intelligi; an vere sic voluerint etiam, non esse quod decernat b). Est igitur in isto quasi genere interpretandi nihil nisi quaedam eorum, quae dicta sunt, ad animum vitamque accommodatio c), et inepti essent futuri, qui hoc tam-

b) p. 161: *Man kann dergleichen Auslegungen nicht der Unredlichkeit beschuldigen, vorausgesetzt, daſs man nicht behaupten will, der Sinn, den wir — — heiligen Büchern geben, sey von ihnen auch durchaus so beabsichtigt worden, sondern dieses dahin gestellt seyn läſst, und nur die Möglichkeit, die Verfasser derselben so zu verstehen, annimmt.*

c) id quod nec alibi (pag. 47. not.) dubitat prae se ferre his verbis: *das hier gesagte*, (de eo quod Scriptura *expresserit* Genes. III.) *muſs nicht dafür angesehen werden, als ob es Schriftauslegung seyn solle, welche ausserhalb den Gränzen der Befugniſs der blos-*

quam novo sensus genere vellent augere hermeneuticam disciplinam. Iam, quicunque sic dicta quaedam ad vitam moresque transfert, illis utitur tamquam occasione se aliosque de officiis admonendi, ut inter oratores nostros ii, qui, dum textum habent praescriptum, eumque natura et argumento minime fructuosum et aptum ad οἰκοδομήν, praeclare de moribus concionantur, etiamsi, nihil earum rerum inesse dictis ad concionandum propositis, bene sciant. Quos si nemo textum interpretatos dixerit: minime apparet, cur magis interpretum nomine digni dicendi sint, qui textui sacro sensum subjiciant, de quo dubitant utrum in mentem sacris scriptoribus, dum illa scriberent, venerit.

At sensum tamen postulat illustris philosophus non quemcunque, h. e. non quam-

sen Vernunft liegt. Man kann sich über die Art erklären, wie man sich einen historischen Vortrag moralisch zu Nutze macht, ohne darüber zu entscheiden, ob das auch der Sinn des Schriftstellers sey, oder wir ihn nur hineinlegen: wenn er nur für sich und ohne allen historischen Beweis wahr, dabey aber zugleich der einzige ist, nach welchem wir aus einer Schriftstelle für uns etwas zur Besserung ziehen können, die sonst nur eine unfruchtbare Vermehrung unserer historischen Erkenntniss seyn würde.

libet intelligibilem s. quae percipi possit, sententiam, sed eam, quam *possis* illi, quem interpretaris, tribuere d). Recte! Sed quaeritur: quam vim illud *posse* habeat? s. quomodo haec possibilitas accipiatur? Talem quidem sensum, nisi velimus verbis ludere, oportet inesse in *verbis*, quae scriptor quisque usurpavit. Quomodo autem inest? Illumne per loquendi usum, qui linguae est, qua usus est, quique illi, cujus sensum quaerimus, asseri potest? an repugnante illo, ac pro arbitrio interpretis, cujus quidem lingua aut usus loquendi cogitandique hanc vim verbo subjiciendam frequentat? Si illud est, *potest* inesse in verbis; alias alienissimus est, nec scriptorem, sive bene sive male, interpretaris, sed comminisceris sensum, qui nullus est. At isto de sensu nemo potest judicare, nisi is, quem grammaticum dicunt, doctum igitur, interpretem; ad quem nisi confugeris ejusque sis usus doctrina, quidquid interpretando susceperis, commenticium haberi debet. Sed de ea re postea erit plura dicendi locus.

Neque vero id, quod *Kantius* persuadere hac disputatione voluit, idem est, quod volunt quamplurimi, deberentque om-

d) *Man nimmt*, inquit, *die Möglichkeit an, die Verfasser der heiligen Bücher so zu verstehen.*

Digitized by Google

nino omnes, ut negent Theologiam subsistere in vero sacrorum librorum sensu reperto debere, jubeantque hunc non modo ad aliorum cognitionem traduci, sed optimum quemque in eo elaborare, ut alii his traditis sententiis meliores reddantur; quae quidem ad usum conversa interpretatio, moralis sive practicae nomine una maxime digna esset. Rectissime illi quidem; sed, quamquam utraque ratio par est in bene de moribus merendi studio, hactenus tamen discrepat, ut in hac, sensus per leges interpretandi repertus, si ipse aliquod officiorum genus continent, ad commendandum officium adhibeatur, sin minus (ut est in locis iis, qui aliquid in facto positum narrant), explicatione quadam et amplificatione ejus, quod in sententia verborum quasi involutum jacet, aptum ad mores informandos, ad actionem et vitam transferatur. Eo autem modo, quem *Kantius* probat, non eruitur sententia et declaratur, nedum verbis vere inesse demonstratur, sed sumitur tamquam quae possit cum verbis conjungi, dummodo sit ad animum vitamque moderandam opportuna; licebit etiam sensum in locum, quo utaris, inferre, si quidem sic ad bene faciendum incitaveris.

Nempe *Kantius*, cum hanc omnem disputationem suscepisset, "non id sibi datum

Digitized by Google

crediderat negotii esse, ut institueret interpretem regulasque interpretandi traderet; proptereaque supra diximus ineptos fore, qui, ejus auctoritate, morale hoc applicandorum sacrorum librorum genus in hermeneutica compendia reciperent. Sed uni voluit recte agendi disciplinae servire atque efficere, ut, si quis horum librorum auctoritate moveretur, eaque illi potior etiam esset eo, quod ratio ac natura, aut per eam Deus, jubeat, haec ipsa auctoritas non modo nihil, male intellecta, noceret disciplinae virtutis, sed ad hanc ipsam quoque commendandam adhiberetur. Hoc ad consilium revocanda sunt omnia, quae disputat in hanc partem, ne quis erret aut in eum iniquus reperiatur. Sed utrum admiscuerit quaedam aliena aut ambigua certe, quae inimica verae illorum librorum vel interpretationi vel auctoritati videantur, aut trahi in malam partem possint, aut tracta sint etiam, ut fit, a quibusdam, auctoritatis illustris viri magis quam rationis ab ipso adhibitae studiosis: hoc nimirum licebit nobis paullisper disputare, et, quantumcunque possimus, cavere, ne quid hermeneuticae sacrae disciplina detrimenti capiat.

Duplex igitur *Kantius* interpretationis genus admittit, unum, quod in sensu literali s. grammatico investigando versetur, alterum, quod omnia in libris sacris ad rec-

Digitized by Google

tam agendi rationem referat; atque, qui huic dat operam, eum proprie *Scripturae interpretem*, (*Schriftausleger*, Ἑρμηνέα s. Ἐξηγητὴν), qui alteri illi, *Scripturae doctum* vult dici, sive, si ita placet, Γραμματέα (*Schriftgelehrten*). De utroque, et finibus utriusque interpretationis regundis, ut conveniamus, nec verbi controversia rectum impediat judicium aut difficilem reddat disputationem vel pervertat: profitemur, nos nequaquam dubitare, quin *Kantius* mores, omninoque rationem, quam dicit, practicam, non modo ad propria officia, moresque et animos legibus ejus, quod rectum honestumque est, accommodandos retulerit, sed ad ea quoque, quae ad animum vere tranquillandum pertinent, omninoque simpliciter aut indirecte faciunt, vel ad veram animi quietem, vel ad rectam sentiendi agendique rationem. Neque enim ignoramus, philosophum nostrum utrique rei providere voluisse, ipsamque religionem hujus utriusque caussa necessariam putare; et ita eum de sensu, quem brevitatis caussa moralem appellabimus, judicare, vel exempla doceant hujus sensus, quae libro adspersit suo; quamquam saepe, ac potius plerumque, sic loquitur, ut videatur id, quod practicum dicit, moribus terminare, non item eo verbo complecti quod ad rectum de Deo sensum animumque confirmandum faciat. At

Digitized by Google

vicissim speramus, sensum, quem tuemur, non per contemtum *literalem* dici, nec eum intelligi, qui statim lectis e verbis arripiatur, aut contra, inepto vanissimoque doctrinae apparatu, tamquam admotis fidiculis, e textu interpretando extorqueatur; sed qui usu loquendi, regnante in lingua ea, qua scriptus sit liber, unice dirigatur, aut, ubi ambiguus sit, adminiculis iis, veluti sermonis contextu, locis similibus, aliisque hujus generis, quae in arte hermeneutica rationes usus vicariae appellantur; non neglecto veteris historiae apparatu, sive ad crisin Scripturae necessario, sive ad mores, opiniones, rei publicae constitutionem, aliaque cognoscenda, quibus veterum librorum ingenium agnoscitur. Qua in re profecto non difficilem habebimus *Kantium*, qui (pag. 162 seq.), ipse profitetur illam multiplicis doctrinae vim a docto sacrorum librorum interprete abesse nullo modo debere.

Quid igitur caussae est, cur, cum religionem a ratione ductam doctrinamque conjunctim, et utramque unice interpretationis horum librorum directricem agnoscat (pag. 166), illam *authenticam* interpretem, hanc non nisi *doctrinalem* dicat, hanc illi subjiciendam aut postponendam (pag. 162), atque interpretationem moralem, etsi duram, nec per grammaticae leges probabilem, literali

antepenendam, praecipiat? Principio literalem illam repudiandam sumit eam, quae sensum offerat vel nihil ad mores bene regendos facientem, vel legibus honestatis contrarium e). Recte, suoque consilio accommodate, e quo religionem, quam totam sumit moralem, revelationemque divinam cupit inter se conciliare. Sed *primum* non hanc sumit revelationem sacris quibusdam libris comprehensam sic, ut solet existere in libris, qui apud has illasve gentes aut disciplinas divini perhibeantur h. e. conjunctam cum rebus gestis doctrinaeque aut morum conversionibus, eandemque propositam ad mentem nondum satis excultam notionesque rudiores eorum, quibus haec illa aetate scribebantur; sed quae, quanta quanta sit, divinis decretis contineatur, a qua certe abesse oporteat quidquid ad religionem, quae tota practica est, vel nihil faciat omnino, vel ei adeo repugnet. At, si libri divini non sumantur infinito quodam sensu (in abstracto), sed uti sunt sane semperque fuerunt inter Indos, Grae-

e) Is quidem videtur sensus verborum: *Eine buchstäbliche Auslegung, die entweder schlechterdings nichts für die Moralität in sich enthält, oder dieser ihren Triebfedern wohl gar entgegenwirkt* (p. 158), per exemplum repetitum a loco Psalm LIX., 8—16., quem nota textui subjecta illustrat.

Graecos, Judaeos, Christianos, aliosque (sic autem oportet profecto propterea, quod e consilio *Kantii*, hi, penes quos hujus modi libri summo in honore sunt ac potiores aliis religionis fontibus, eo deducendi sunt, quo, propter quandam animi humani imbecillitatem, per purae rationis disciplinam pervenire nondum possint): longe secus judicare debemus. In his enim, quoniam continentur variis e rerum generibus mixta et apta primorum lectorum aut eorum, qui ibi inducuntur, ingenio ac necessitati: nec possunt omnia non contraria videri purae et simplici religioni, qualem mentis humanae altitudo informare omnino potest; multa quoque occurrere debent, quae directo nihil ad animum moresque emendandos conferant.

Quo modo autem docebitur, eum modum ac formam librorum divinorum indignam Deo esse? Quid enim magis est sapientiae divinae proprium, quam applicare se ingeniis, necessitatibus, imbecillitati eorum, quos cupiat trahere in suas partes, eaque maxime adminicula adhibere, quibus scierit homines maxime moveri posse; et, si ei visum fuerit his revelationis beneficio gratificari, audeamusne ejus vim in eas angustias compellere, ut ne ei liceat quidem, praeter consilium de moribus praecipiendi, alia proponere quoque, quae his certe, quibus scri-

Digitized by Google

bit, utilissima sint, etiamsi mores proprie non attingant?

Non lubet mihi repetere, quae ad confirmandam defendendamque revelationis divinae necessitatem dici posse videantur, nec modum definire aut ambitum, quo Deus uti in ea constituenda queat. Sit sane pura, hoc est una e natura et ratione ducta, religio, sola religio nominanda; certe, si sumitur, quod nec ipse *Kantius* negat, posse Deum, quae velit, scripto ad hominum notitiam traducere, haec scripto comprehensa revelatio, etiamsi nihil novi contineat, quo mens humana non potuisset pertingere, poterit tamen ad rectam Dei cognitionem propagandam ejusque fines sensim ad plures vel omnes profedos plurimum facere. Aptae huic Dei consilio vel arbitrariae leges erunt, quas *Kantius statutarias* appellare consuevit, quamquam ad religionem proprie non referendae, apta etiam alia, opiniones, instituta, mores, populorum, quibuscum Deus copulat religionem ipsam, ut majore vi eorum in animos penetret f). Atqui concedit *Kan-*

f) Sic autem ille pag. 147. 148: *Da alle Religion darin besteht: daſs wir Gott für alle unsere Pflichten als den allgemein zu verehrenden Gesetzgeber ansehen, so kommt es bei der Religion in Absicht auf unser ihr gemäſses*

tius, sumta divina revelatione, hanc arbitrarias quoque leges continere posse, eas videlicet, quae non ipsae vim obligandi habeant, sed eam a Dei auctoritate nanciscantur, hactenus etiam ac earum caussa revelationem quandam necessariam esse. Habet

Verhalten darauf an, zu wissen, wie Gott verehrt seyn wolle. Ein göttlicher Gesetzgebender Wille aber gebietet entweder durch an sich bloss statutarische, oder durch rein moralische Gesetze. — — Wenn wir statutarische Gesetze Gottes annehmen — so ist die Kenntniss derselben nicht durch unsere eigene blosse Vernunft, sondern nur durch Offenbarung möglich. — — Die statutarischen göttlichen Gesetze (die sich nicht von selbst als verpflichtend, sondern nur als geoffenbarter göttlicher Wille für solche erkennen lassen) — — können nur das Mittel der Beförderung und Ausbreitung der rein moralischen Gesetzgebung seyn. Et pag. 157: *Wegen des natürlichen Bedürfnisses aller Menschen, zu den höchsten Vernunftbegriffen und Gründen immer etwas Sinnlichhaltbares, irgend eine Erfahrungsbestätigung u. d. g. zu verlangen (worauf man bey der Absicht, einen Glauben allgemein zu introduciren wirklich auch Rücksicht nehmen muss) muss irgend ein historischer Kirchenglaube, den man auch gemeiniglich schon vor sich findet, benutzt werden.*

Digitized by Google

igitur illa in se declaratam Dei voluntatem eamque religiose observandam, cum istius unius sit, quae velit fieri, sive per naturae sive per arbitrarias leges constituere. Enimvero, si hac ex una Dei auctoritate pendentes leges ad ceteras, quas ipsa natura tueri jubet, accesserint, nec minus quam illae tenendae sint, nec tamen nisi per revelationem ad cognitionem hominum deferri queant: alius profecto generis sunt, nec in naturae leges interpretando convertendae; tolleretur enim omne discrimen, et desineret quidquid legum praeter naturam a Deo hominibus praeceptum fuerit, neque hi sola ejus auctoritate aut pietate in eum ducti obsequerentur.

Sed redeamus ad eum revelationis usum, quem noster, ut vidimus, nobiscum profitetur, quique cernitur in eo, quod ad *religionem longius propagandam* mirum quantum conferat. Solet nimirum Deus, ut in natura hominibus aperienda et quasi evolvenda, sic in ceteris etiam, quae ex illa non necessario fluunt, explicandis, eum tenere modum, ut non protinus omnes idem, quod vult revelare, videant, sed primus unus et alter, sive homo sive populus, per quem illud repertum postea sensim ad ceteros propagetur; quod quidem ita fieri omnis humanae cognitionis historia docet. At-

Digitized by Google

qui nec aliquam in rem oculi animique eorum, qui eam primi observavere, converterentur, nec facile arriperentur aut probarentur observata; nisi quaedam animadversa necessitas excitasset requirendi studium, et perspectus inventae rei usus ad amplectendum invitasset. Est igitur omnis quaerendi probandique caussa in reperientis cujusque conditione, et quo magis aliquid conjunctum cum cujusque desideriis, opinionibus, moribus etiam et institutis, hoc magis appetitur ac tenetur; ex quo fit, ut, quae ad religionem et officia pertinent, maximam habeant commendationem a rebus iis, quae sunt cuique homini aut populo, tempori etiam et loco, quo quisque vivit, propriae. Quodsi etiam haec, quae religionem ipsam minime attingunt, sed ad humanam imbecillitatem adjuvandam extrinsecus assumta sunt, in gentibus iis, quae ab aliis haec tradita accepere, occidant posthaec et bene a religione ipsa sejungantur; nec tamen illis carere poterant qui primi, iique rudes, tamquam in humani generis infantia, moderante Deo, verae religionis initia cognovissent. Quid autem? si adeo visum fuerit Deo, adhibere librum non modo ad spargenda in aliqua gente religionis ac virtutis semina, sed ad constituendam quoque rem publicam eamque legibus ac institutis regendam (quidni enim licebit utrumque consilium conjun-

Digitized by Google

gere, et religionis adjumento rectam civitatis disciplinam confirmare?): quis miretur librum divinum habere in se quidquam admixtum dispar quidem sui atque dissimile, ad illud tamen genus civilium officiorum referendum, quibus non minus providere voluisset Deus quam tradendae commendandaeque religioni? quis a Dei consilio alienas reperiat tabulas ad originis descriptionem pertinentes, decreta de cerimoniis, formulas sollemnes, praecepta arbitraria ad gentis ingenium necessitatemque conformata, quorum pleni sunt, ut hoc utar, sacri Jsraelitarum libri, quaeque ad avertendas componendasque de jure singulorum controversias, ad leges vel sensuum et consuetudinis vi commendandas, ad tuendam exactam in legibus observandis diligentiam valebant plurimum? aut quis haec audeat e codice divino tamquam inepta expellere, eorum contra naturam interpretando in naturae leges convertere, et, quae Deus sapienter conjunxit, contra Dei consilium discerpere alienumque in sensum contorquere?

Haec quidem de iis, quae, tamquam ab argumento librorum divinorum, ac potius religionis, alienissima, videbantur illustrem philosophum offendere. *Theoreticam* autem religionis ipsius in illis traditae partem et quidquid ad res pertinet in facto positas,

Digitized by Google

pariter ab eo video, non dicam contemni sed propter exilitatem ex hac omni disputatione proscribi, nisi ad summum religionis consilium, h. e. ad officia cognoscenda explendaque profuerit g). Quod certe non impedio, si nihil omnino, nisi de moribus, quaeritur. Sed, utrum hoc unum quaeri in libris divinis deberet, id nimirum cadere in disputationem potest. Illi certe, qui vel nullam concedunt divinam auctoritatem praeter eam, quam tribuunt scripturis sacris, vel hanc omni alii praeferunt (hos autem sumit *Kantius* eos, quibus se sperat hac ipsa auctoritate persuasurum; ut probent quidquid religio solam naturam sequens, unaque proponendis injungendisque officiis occupata jubeat), isti igitur in libris sacris non ea tantum requirunt, quae ad mores voluntati divinae con-

g) p. 158: *Das Theoretische des Kirchenglaubens kann uns moralisch nicht interessiren, wenn es nicht zur Erfüllung aller Menschenpflichten, als göttlicher Gebote (was das Wesentliche aller Religion ausmacht), hinwirkt.* Et pag. 161: *das Historische der heiligen Bücher, was nichts beyträgt, bessere Menschen zu machen, ist etwas an sich ganz Gleichgültiges, mit dem man es halten kann, wie man will. (Der Geschichtsglaube ist „tödt an ihm selber" d. i. für sich als Bekenntniss betrachtet, enthält er nichts, führt auch auf nichts, was einen moralischen Werth für uns hätte.)*

Digitized by Google

formandos pertinent, sed illa in primis, quae se, qui haec officia neglexerint, consolentur, ne habeant quod de Deo ad ignoscendum paratissimo, deque salute sua desperent! Quae ad animum tranquillandum idonea si omnino, tamquam ab humana ratione aliena, sejunxeris, atque in una virtute officiisque commendandis acquieveris, frustra te his lectoribus satis facturum speras; potiora enim virtute haec putant quae spem felicitatis faciunt, vel, cum officia ipsa agnoscunt, non horum cognoscendorum sed animi et spei confirmandae caussa, revelatam in libris sacris doctrinam desiderant. At, si vel nullam eorum, qui ita sentiunt, rationem habueris, sed quaesiveris de solis officiis, quae in libris sacris tradita reperiantur, non aequum erat, ad haec cognoscenda inutilia dicere ea, quae in his libris sunt theoretica aut de historico genere. Nam cum talia possint cum praeceptis officiorum in libris sacris conjuncta esse, ac sint etiam vere in omnibus, qui ad cognitionem nostram pervenere; cum *Kantius* ipse velit, ut viri docti literarumque sacrarum periti cum iis, quos proprie dicit interpretes, in librorum divinorum interpretatione communiter elaborent, inprimisque illi fundamenta αὐθεντίας eorum cognoscenda ponant (p. 162. 165); cum ille denique alibi temerarios arrogantesque appellet eos, qui negent, modum,

Digitized by Google

quo constituta sit Ecclesia, a Deo profectum esse posse, si quidem ille modus cum morali religione consentiat, atque vix possit intelligi, quo modo homines reperire ipsi hunc modum potuerint, nisi aliquot in religione progressus ante fecissent h): non est consentaneum, negligere illos librorum sacrorum locos, qui in narrandis rebus gestis, in arbitrariis institutis, in dogmatibus denique proponendis, versantur, aut illos ab hac disputatione prorsus sejungere.

Haec autem cur nihil putentur ad homines meliores reddendos facere? quod certe non unice per praecepta de moribus effi-

h) Sic quidem intelligimus locum pag. 150, in quo de institutis ad homines in unam Ecclesiam cultu quodam divino conjungendos sic disputat, ut talia pariter recte convenienterque Dei voluntati ab hominibus quam a Deo potuerint introduci: *Es würde Eigendünkel seyn, schlechtweg zu läugnen, dass die Art, wie eine Kirche geordnet ist, nicht vielleicht auch eine besondere göttliche Anordnung seyn könne, wenn sie, so viel wir einsehen, mit der moralischen Religion in der grössten Einstimmung ist, und noch dazu kommt, dass, wie sie ohne die gewöhnlichen vorbereitenden Fortschritte des Publikums in Religionsbegriffen auf einmal habe erscheinen können, nicht wohl eingesehen werden kann.*

Digitized by Google

citur. Quid enim? si per haec rectius cognoverint Deum, si liberati a dubitatione fuerint, quae magnam habet vim ad ipsa officia contemnenda, si in dogmatibus ipsis sint ad recte vivendum momenta maxima, si narratae rerum, inprimisque religionis, conversiones et Dei auctoritatem commendent et ad obsequendum animos incendant, si exemplorum vis, longe illa illustrior hac, quae in doctrinis est, ita moverit homines, ut ad virtutem enitantur vigilantius: haeccine nihil ad mores formandos fecerint? ut statuere oporteat, hujus modi locos de historico et dogmatico genere *nihil omnino* ad corrigendos animos moresque conferre, ad illorum emendationem nullo modo ducere. Jesum, ut hoc utar, video in sacris Christianorum libris Dei legatum dici, seque ipsum eum ubique profiteri, ceterisque, quos prophetas Apostolosque appellant, auctoritatem divinam ita tribui, ut, qui eorum doctrinam audiat et sequatur, ipsi Deo obsecutus dicatur. Haec quam sint vera, secus quam e rebus ab iis gestis intelligi non potest, quibus confirmarint, summo jure se sibi auctoritatem Dei asseruisse. Hoc igitur ex historia didicisse nihil referat? Sint itaque, ac videantur potius, haec, quae literali librorum sensu traduntur, in se naturaque sua minime fructuosa et opportuna moribus, poteruntne tamen cogitando et transferendo ad

Digitized by Google

vitae usum feraciora et uberiora fieri, atque sic, quod *directo* non possint, *oblique* virtutem adjuvare? Hoc est *alterum* pertinens ad grammaticam interpretationem, tamquam fontem disciplinae virtutis, de quo cum satis dictum videatur, ad reliqua progrediamur.

I.

Summam, e qua divina revelatio agnoscitur, notam hanc dicit *Kantius* (p. 161), quod omne, ut ait Paullus Apostolus, scriptum a Deo inspiratum, ad docendum, corrigendum, emendandumque animum ac vitam sit utile; quo cum tendat omnis religio, quam ratio praescripserit, hanc etiam primum omnis interpretationis talis libri principium esse, eumque librum omnino (*durchgängig*) eo sensu accipi debere, qui cum regulis practicis purae religionis rationalis concordet (p. 158). Quod quidem concedo *primum*, quoad hic liber proprie divinus funitur, sive quoad ejus partes omnes continent caelestem doctrinam. Nam si hujus modi liber ita scriptus reperitur, ut multa sint admixta de historico genere, omnia item dicta ad infantiam illius, qua scribebatur, aetatis, eorumque hominum, qui purissimam ex omni parte morum disciplinam nondum vel attigissent, vel ejus cognoscendae probandaeque facultatem haberent, (ut est profecto in omnibus, qui ex hoc genere fe-

funtur, libris): nequaquam ista est disciplinae puritas postulanda, nec loci omnes in hanc partem interpretandi; neque enim tum *interpretareris* librum, sed bona quidem et utilia, a sensu tamen alienissima, afferres. In istis *porro* locis, qui ipsam doctrinam divinam, sive practicam sive theoreticam, complectuntur, hactenus utique sunt omnia exigenda ad religionis rationalis principia, ut nihil admittatur, quod eis perspicue repugnet, nec *ita* his cum principiis consentiat. Sed, nisi demonstretur, (quamquam id a *Kantio* sumtum videatur) nihil posse vera revelatione divina tradi, nisi quod jam satis ipsa ratione cognosci possit, multa poterunt tali libro contineri, quae nemini hominum ante in mentem venerint; nec ea tum interpretando sunt proscribenda, nisi velis omnem hunc revelationis usum evertere. Multa sunt in sacris Christianorum libris de officiis praecepta quoque, veluti de iniuria non ulciscenda, sed aequo animo ferenda, de inimicis diligendis eorumque animis benefaciendo emolliendis, de precibus Numini divino admovendis, tamquam pietatis in Deum exercitationibus, de fugienda omni re licita illa quidem, sed quae aliis nefas esse videatur et tamen possit exemplo nostro eos ad imitandum atque ita ad prave agendum allicere, et quae sunt hujus generis ad mores pertinentis alia, quae sane non

Digitized by Google

audeat optimus quisque contemnere, nec naturae ac sanae mentis judicio non consentanea probare. Haec, quae e natura ipsa intelligi possunt, si quidem ratio humana, sive aliorum hominum admonitione, sive necessitate urgente, aut casu aliquo ad eorum cognitionem directa fuerit, num ab omnibus cujusque temporis vel rudioribus vel sapientibus ante perspecta et probata fuere, quam divini cujusdam libri auctoritate ad ista investiganda fuissent excitati? Potest sane haec ratio humana per se agnoscere seque ad eorundem veritatem perspiciendam erigere; habeatne autem vel non admonita eorum reperiendorum facultatem, aut liceatne huic admonitae ea de moribus decreta recusare propterea, quod ipsa nondum eorum veritatem perspexerit vel ipsa invenerit, recte dubitari potest. Religionis quidem et philosophiae historia satis docet, multa hujus generis olim vel ignorata etiam summis philosophis vel ab iis repudiata fuisse, quae postea aut hodie in philosophiae praeceptis recte habeantur. In ceteris *denique* horum librorum partibus, quae res tradunt gestas, exempla, omninoque ea, quae usu venire ac regnare inter homines solent, non proprie quidem ea pertinent ad mores formandos nostros, sed eorum tamen interventu hos quoque corrigi atque emendari posse, ante sumus professi, ut non intelligi posse

Digitized by Google

videatur, cur ista via relinquenda sit, et hujus modi quaerendus sensus, quem Sacri Scriptores minime voluerint exprimere.

Sit igitur hoc constitutum, ferri quidem moralem e *Kantii* sententia sensum posse, si rudioribus morum praecepta inculcare velis; quae, quacunque constent auctoritate, nihil referat; sed, cum nullus omnino sensus, nulla item interpretatio dici possit, nisi quae verbis per loquendi consuetudinem contineatur: hunc usum grammaticum, non religionem rationalem, summum *principium* interpretandorum librorum sacrorum dici debere. Nec illam religionem bene cum *Kantio avthenticam interpretem*, grammaticam contra doctrinam non nisi *doctrinalem* appellaveris. Etsi enim sententia per illam reperta hactenus consentit cum voluntate Dei, qui librorum sacrorum auctor esse putatur, ut in se vera, bona et salutaris hominibus sit: tamen, nisi doceri possit, eam *de Dei consilio* in aliquo horum librorum loco, tradi *debuisse*: quomodo potest avthentica dici aut vera hermeneutice? nam de *dogmatica* veritate non quaeritur hoc loco. Multo etiam minori jure grammatica doctrina interpres *doctrinalis* appellatur; cujus sit, ut ait *Kantius* i), Eccle-

i) p. 166: *Um den Kirchenglauben für ein gewisses Volk zu einer gewissen Zeit in ein bestimm-*

Digitized by Google

siae fidem s. religionem positivam, ad usum certi cujusdam populi certo quodam tempore in quoddam fixum et stabile systema convertere. Hoc enim philosophi est aut philosophantis Theologi, non grammatici interpretis, cujus unum studium versatur in reperiendo declarandoque sensu; cetera illis relinquit.

Sed grammaticum interpretem *Kantius* vult subjici (subordinari) illi, qui ad morum disciplinam interpretatur omnia. Sane, hoc sensu, quod huic ille serviat, primumque doceat, quod vel *possit* locus, cujus hic reddere velit sensum, ita intelligi, atque ita hic sine illo grammatico nullus sit. Alio si sensu dicatur inferior h. e. qui *post* alterum sive philosophantem sive concionantem morum magistrum audiri debeat et ita magistro obsequi, ut, nisi ad morum praecepta interpretationem accommodaverit, ne audiendus sit quidem: potiorem concedimus morum disciplinam esse grammatica omnique doctrinae apparatu, nulla enim vitae pars vacare officio potest; sed nimirum, ubi de sensu libri sive divini sive humani quaeritur, una vel prima laus est in eo quod scienter inveneris quidquam, non quam uti-

tes sich beständig erhaltendes System zu verwandeln.

Digitized by Google

liter ad communem scientiam dictum sit. Nec mihi quisquam occurrat ita, ut dicat, non de ea interpretatione quaeri, quae debeat in arte regnare, Theologumque deceat, sed qua utaris apud rudiores; neque enim haec ipsa carere doctrina grammatici potest, ut ipse *Kantius* profitetur k), eaque vel hactenus opus est, ut scias, an *possint* verba in hanc partem accipi.

Enimvero, si certitudinis in interpretando cupidus sis, quod debent profecto, qui divinam credendorum auctoritatem requirunt, eam quidem te constat consequi nullo modo posse, nisi tenueris, quam varius sit loquendi usus in unoquoque verbo formulaque dicendi; in eaque sententiarum diversitate, qui sit delectus faciendus, secundum Scriptoris cujusque consilium, similia ejus dicta, resque omnes, quae ejus cogitandi scribendique modum affecerint, ea denique, per quae lectores, quibus primis scripsisset, essent tales, qualibus sic, non aliter, deberet scribere. Repetenda igitur haec sunt, ut rectissime vidit *Kantius* (p. 165), e linguae ejus, quam interpretamur, ratione ac usu,

k) p. 163: *Auch die Auslegung der heil. Schrift bedarf Gelehrsamkeit. Denn wie will der Ungelehrte, der sie nur in Uebersetzungen lesen kann, von dem Sinne derselben gewiss seyn?*

Digitized by Google

e conditione, moribus opinionibusque veteris memoriae. Ita efficitur, ut literalis interpretatio praestet morali, quae, quamquam utilior videri potest ad οἰκοδομὴν, incerta est tamen, nec tueri se, tamquam interpretatio, sine grammatica s. literali potest. Quod erat *primum*.

Alterum autem hoc est, quod ne te quidem sperare possis consecuturum morali interpretatione, quod sequaris de *Kantii* consilio. Namque is uti jubet dictis revelationis, quae creditur, divinae, ut homines, quae praeter scripti divini auctoritatem nullam admittant certam stabilemque credendi regulam, nec agnoscant vim purae rationalis religionis, illa auctoritate ad hujus praecepta amplectenda sequendaque impellantur. Confitetur eo ipso, his divinam Scripturam potiorem esse iis, quae de natura promantur. Quo modo igitur his persuadebis, Deum aliquid in libris sacris dixisse, per horum oraculorum consensum cum praeceptis naturae, quae ipse sumis sive nullam apud eos vim habere, sive non tantam, quantam oracula Dei scripta habeant. Quorum si sensum non interpretaris e vi verborum, aut si putaverint verba eum, quem subjicis, sensum, non offerre, argutantem te dicent, Scripturae tenebras offundentem, eamque rationali doctrina pervertentem, vehemen-

Digitized by Google

terque, quidquid contra dixeris, de bona fide tua dubitabunt.

Fac *porro* te hoc adminiculo disciplinae moralis rudiores trahere in tuam sententiam posse: quid fiet intelligentibus, sive inimici sint omni revelatae religioni, sive eam omni animo amplectantur. Illi quidem, si viderint, te segregare a libris sacris omnia, quae nihil ad mores faciant, historiamque et theoreticam partem negligere, duriorem sensum, si moribus profuerit, praeferre ei, qui per grammaticas leges historiamque veterem commendetur, et intolerabilia callidius pragmatica interpretatione mitigare, desperatam putabunt librorum sacrorum caussam. Etenim, qui, deserto literali s. grammatico sacrorum librorum sensu, alium quaesivere, *vel* ipsum scriptorem, viderunt, non tam verbis, certe non iis solis usum esse, quam rebus potius adhibitis aliquid adumbrare voluisse, *vel*, quae verbis expressas res reperissent, Deo prorsus indignas, *vel* divino oraculo non satis dignas, existimaverunt. Qui *primam* tenent in interpretando viam, verborum nolunt significationem satis obviam proponere, sed *rerum* tradere sensum, nec illi aures intelligentis cujusque offendent, si quidem probabilem rationem afferant, cur sacrum scriptorem non tam verbis quam rebus aliquid docere voluisse pu-

Digitized by Google

tent; satis enim constat, magnam partem antiquissimae in primis sapientiae hujusmodi rerum involucris propositam et *μύθοις* comprehensam esse. Qui *postremum* secuti sunt modum atque in verbis aliud quid quaesiverunt, quam simplicem rerum gestarum narrationem, existimantes, non satis dignas esse res in facto positas, quae vel auctoritate divina confirmarentur, sive suo ducti sunt sensu sive consuetudine eorum, quibus sciebant tales allegorias placere, quarum ope altius aliquid et magis divinum a libris sacris eliceretur; quod genus docendi frequentatum in primis fuit inter Judaeos, nec a Paullo Apostolo neglectum, qui bene teneret in hoc magnam vim esse, Judaeos e Scripturis sacris convincendi; quamquam haec non interpretatio locorum historicorum dici potest, sed mera eorum ad decreta divina accommodatio. Sed hodie et apud nostros homines, doctos quidem et intelligentes, quid opus esset hac persuadendi ratione, qua quidem ad amplectendam quandam doctrinam nullo modo moverentur, satis persuasi, in ea re lusum ingenii potius esse, apud rudiores aut hujus modi artis magis quam literalis interpretationis amantes, utcunque ferendum, quam legitimam divinorum oraculorum interpretationem. Itaque si quis serio vellet hodie ita tractare libros, qui vere divini pu-

Digitized by Google

tentur, non minus se ipsaque divina decreta ridenda propinaret horum librorum contemtoribus, quam si diserte profiteretur ineptas esse Deoque omnino indignas sententias in sacris scripturis traditas, proptereaque se ad hanc moralem interpretandi rationem confugisse. Mihi quidem tolerabilius videtur et viri boni dignitati magis consentaneum, si eo se compulsum videat, bona fide profiteri, se hujus modi locum non intelligere, aut textum sacrum ad nos non integrum pervenisse, aut, Dei non esse, sed privatam scriptoris ipsius sententiam, aut hominum quibus scripserit sive quos induxerit loquentes, quorum igitur ingenio se scriptor accommodaverit; hoc, inquam, satis fuerit profiteri, quam morali interpretatione caussam desperatam defendere [l]). Vicissim vide

l) Consentientem quodam modo, nescio an invitum? habemus ipsum *Kantium*. In uno enim illo exemplo, quo usus est p. 158 not. e Psalm. LIX, 11—16 ad illustrandam vim et demonstrandam necessitatem moralis interpretationis, horrendum dictu omnibusque morum legibus contrarium pronnnciat, quidquid ibi dirarum Davides adversus hostes adhibuit, quae ita studet mitigare, ut dicat, *hostis* imagine expressam fortassis esse *pravas libidines*, quas subigi oporteat (*Es werden etwa*, inquit, *nicht leibliche*, *sondern*, *unter dem Symbol derselben*, *die uns weit verderblichern Feinde*, *näm-*

Digitized by Google

mihi, quam feliciter et ad persuadendum apte, per grammaticam et historicam interpretationem Sacrarum Scripturarum adversariis erepta fuerit calumniandi opportunitas, de quarum auctoritate tuenda, longe profecto magis meritus sit doctrina sua *Michaelides* (in jure Mosaico) quam *Philonis* de moribus e veteris Testamenti libris philosophandi studium, nostraeque aetatis illustres quidam interpretes, magis quam omnes, qui, cum lumine hujus doctrinae carerent, emollire Scripturae dicta concionando tentaverint.

Non magis hoc interpretandi genere satisfeceris his, qui libros sacros, tamquam divinos, bona fide susceperint. Namque et illud sibi ereptum hoc modo conquerentur,

lich böse Neigungen verstanden, die wir wünschen müssen völlig unter den Fuss zu bringen). Qui sensus, cum ipse sentiat, quam sit contortus, cogitur se referre ad historicam; h. e. literalem interpretationem, atque addere: *Will dieses nicht angehen, so werde ich lieber annehmen: dass diese Stelle gar nicht im moralischen Sinn, sondern nach dem Verhältniss, in welchem sich die Juden zu Gott, als ihrem politischen Regenten betrachten, zu verstehen sey — da in jedem Staat das Gesetz gilt, Genugthuung wegen Beleidigungen im Gerichtshofe des Oberhauptes nachzusuchen.*

Digitized by Google

quod revelationi divinae proprium ſit, farciatque et augeat, quod in rationis inſtitutione deſiderent, maxime, ut jam dicere me memini, quoad animum tranquillandum, cum videant ſe obſequi tantum, quantum vellent, legibus divinis non poſſe; et cupient ſibi evelli ſcrupulos, injectos a locis Scripturae hiſtoricis, ut omnis de divina librorum auctoritate dubitatio deleatur; quod quidem moralis interpretatio numquam effecerit.

Omnino, quidquid de hoc genere jactare ſolent, aeque fieri et vero etiam longe melius poteſt per literalem ſ. grammaticam interpretationem, quae et philologicam et hiſtoricam, quam dicunt, complectitur; de qua re, neglecta in libris hermenevticis aut non ſatis tractata, breviter dicam quid ſentiam. Eſt nimirum triplex, ut mihi quidem videtur, genus locorum in libris ſacris, qui faſtidioſos aut in officiis conſtituendis haeſitantes lectores, aut philoſophos offendant eos, quibus nihil, neque in officiis habendum, neque in oraculis divinis admittendum videatur, niſi quod e rerum natura aut ratione neceſſario intelligi colligendoque cogi poſſit. Namque *vel* ipſa de moribus praecepta complectuntnr, *vel*, quae acciderunt quaeque ſunt geſta, enarrant, *vel* in dogmatibus ſeu theoreticis religionis ſententiis ver-

Digitized by Google

fantur. Ac *primi* generis loci ad *mores* ipsos pertinentes, *vel* continent ea, quae conciliari cum ratione non posse, et vero etiam ei perspicue repugnantia putentur, *vel* arbitraria sint nec a rationis necessitate dictata. *Illi* igitur ut rationi consentanea reddantur, non opus est morali quadam interpretatione, quae est sane lubrica et incerta, dogmatice, ut ita dicam, satis bona, non item hermenevtice; sequitur enim loquendi usum ejus, qui, suae, hoc est vernaculae, linguae aut scholae assuetus, omnia sensui accommodat suo, non scriptoris ipsius loquendi consuetudinem consiliumque requirit; quo fit, ut, qui possit utcumque esse, non qui vere sit in oratione scribentis, sensus arripiatur. Unus igitur interpres grammaticus docebit, quae in sententiis perversa lectoribus videantur, ea verissima esse, si loquendi usus scriptori aut linguae ab eo usurpatae proprius consulatur; veluti in illis, quibus Christus jubet Matth. V, 29. 30 ut, *si oculus nos ad peccandum incitet*, *eum evulsum abjiciamus*, *si manus*, *eam praecidamus*, non negliget demonstrare, Hebraeos omnem libidinum compagem quasi corpus quoddam cogitare, cujus membra pro singulis libidinibus ponantur, planissime ut Paullus Apostolus Coloss. III, 3 *occidite*, inquit, *membra vestra*, quod est versu 8: *abjicite* (ἀπόθεσθε) *omnia*, *iram* videlicet *et iracundiam*, *malignitatem*, *cupiditatem ob-*

Digitized by Google

trectandi et quae sunt eodem de genere. Meminerit etiam, gentes universas, inprimisque orienti soli subjectas, in prima mentis humanae infantia, ac posthaec etiam, solos ad sensus, vel ad istos maxime, omnia revocare, atque, cum se erexerint sensim ad ea, quae sensibus nequeunt percipi, haec quoque verbis ac formulis exprimere, *quae* sint a sensibus ductae, omninoque in judicando et loquendo sequi non ipsam, sibi nondum satis cognitam, rerum naturam, sed suum sensum cogitandique modum; hunc porro tenentes saepe ea eloqui solere, etiam in tradendis morum praeceptis, quae a natura abhorreant et rationi contraria videantur; ipsas etiam sive loquentium sive scribentium sententias ab opinionum temeritate contagionis aliquid trahere; idcirco neminem debere admirari, si vel ad libros sacros quaedam hoc e fonte manaverint, vel ab iis adhibita qui illos scripserint aut alios ibi loquentes fecerint, eaque non numeranda in divinis eloquiis, vel a Deo usurpata, qui se, ut est boni ac sapientis educatoris, ad hominum infantiam imbecillitatemque demiserit. Nec istud difficile fuerit vel rudioribus perspicuum reddere. Tanta enim vis est communis illius ac moralis cujusque sensus, ut facile animadvertat, si quid vel in libris sacris inhonesti occurrat, et studeat suo modo mitigare Deique virtutibus conve-

Digitized by Google

nienter interpretari. Quos si adjuveris eo, quod demonstres, quae durius dicta sint, ea aliis in locis ad veritatem propius expressa, nec in libris divinis aliam quam opinatam sententiarum repugnantiam esse posse; difficiliora ad locos eos, quorum perspicuus est sensus, explicari debere; similia vel in vernacula lingua occurrere, quae nemo ad verbum, sed ad sensum communem revocet; diversis temporibus hos libros scriptos esse et variis hominum generibus, sic ut aliter debuerint inscientes, aliter provectiores tractari; Christum ipsum ejusque Apostolos suo tempore improbasse quae antiquitus licita et necessitatis caussa tolerata fuerint (Matth. XVIIII, 7 seq. Luc. IX, 54—56), omninoque suam tamquam liberaliorem sanctioremque disciplinam commendasse (Rom. VIII, 15 Cap. XIV etc.); his, inquam, si adjuveris haesitantes in locis durioribus, atque semper habueris in promtu ejusdem argumenti, sed diversi tenoris, SS. Scripturarum locos: plus profecto hoc modo vel apud indoctos efficies, quam illa a sacra consuetudine loquendi aliena philosophia et moralis interpretationis vanitate. De iis autem locis, qui *praecepta* continent *non a naturae necessitate, sed Dei arbitrio pendentia*, qualia sunt e vetere testamento Mosaica, in novo sacrae coenae institutio et alia, in quibus cum naturae legibus conciliandis eundem, quem

Digitized by Google

diximus, teneri oportet modum, neminem difficilem habebis et pertinaciter contra disputantem, nisi eum, qui semel nihil admittendum decreverit, nisi quod solae naturae leges postulent, eumque, si quidem doctus est et aequus rerum aestimator, haud difficiliter convinces auctoritate eorum, quae supra de sapiente arbitrariorum cum necessariis morum praeceptis conjunctione sunt dicta.

Sequitur itaque *alterum* genus locorum, qui probitatem animi morumque impedire, libidinumque vim excitare atque alere sunt visi quibusdam, quod *res in facto positas* complectitur. Hi quidem vel directe faciunt ad mores informandos, vel indirecte. Etenim historiam ut verissime dixerunt veteres vitae magistram, vitaque et factis bonorum virorum illustrari quam maxime possunt, quae in philosophorum scholis de moribus subtilius, quam satis est, disputantur: quis neget omnem recti honestique disciplinam lumen horum locorum habere ab exemplis in sacris libris ad imitandum fugiendumque propositis. In quibus quid sequi oporteat in utramque partem, si vel sua sponte perspicuum sit, vel ipso Scripturae testimonio judicatum repereris, hoc unum quaerendum est, quatenus laudatum aut vituperatum, sequendum aut aspernandum sit? Nam, quem-

Digitized by Google

admodum in ceteris locorum generibus sa-scriptores non omnia definite, sed spissius quaedam ac populariter dixerunt, sic in hoc quoque, simpliciter laudare aut reprehendere videntur, quae non nisi cum aliquo modo debuissent. Quis enim dubitet, eos universe quendam, veluti Davidem, ab animi probitate laudasse, cujus ceteroquin peccata lapsusque minime ignorarent, aut actionem aliquam ab aliqua parte, quam bene scirent ab altera minime laudabilem esse, nec omnino omnibus numeris absolutam. Iam si de istis singulorum actionibus quaeritur, sintne magis aut minus, et quatenus, honestae? omnia quidem ad veram rationem exigenda sunt, sed carere hoc judicium de exemplis in sacro codice propositis, adjumento grammatici interpretis non potest, ut quem oportet omnia quae ibi ista de re narrata leguntur, quaeque actionis affecerunt modum, quorum sine accurata cognitione ne intelligi quidem potest quatenus recta dicenda sit, e loquendi usu, e moribus pristini temporis, e cognitionis rerum honestarum istis hominibus istique aetati propriae modo et quasi mensura explicare, ne desiderentur, quae ab istis nondum satis hactenus excultis postulare aut exspectare iniquum sit, neve reprehendantur, quae in se quidem aut in alio statu et conditione (aliis sub περιστάσεσι) minus recta habenda sint, sed factu vel op-

Digitized by Google

digna vel suo modo honesta, si quidem omnia cogitando complectamur, quae effecerunt aut debuerunt efficere, ut hi nominatim homines sic, non secus quam fecerint, agerent.

Cetera quae sunt in locis sacrorum librorum historicis, non tam ad actiones humanas, quam ad rerum conversiones pertinentia, ipsa natura sua non directe quidem ad mores conformandos faciunt, sed, ut saepe jam dixi, indirecte tamen et suo modo. Neque vero repetam, quae modo commemoravi, quanta sit harum rerum vis ad actiones bene maleque dirigendas, agnoscendas etiam subtiliterque et accurate judicandas ex omnibus quae vel minimi quidquam momenti ad eas conformandas habuere. Hoc tenebo praecipue: an et quo modo sacri scriptores idonei fuerint ad virorum divinorum dignitatem tuendam? an verae religionis intelligentes, ejus quidem, quae ad animum, ad virtutem, ad pietatem in Deum omnia refert? an a furiosorum temeritate alieni? an viri boni, sapientes, toti in caussa Dei agenda? an necessitatis publicae privataeque bene gnari et salutis omnium studiosi? an paratissimi ad suscipienda hac in re adversa, et vera animi magnitudine conspicui? haec igitur ex factis agendique eorum modo, unice posse cognosci. Quae si quis contulerit cum perspicuis et ubique obviis hac

in religionis revelatae historia providentiae divinae vestigiis, ad erigendos confirmandosque animos, ad Dei beneficia, vera in Deum pietate diligentissimoque virtutis studio remuneranda, inflammantibus, in quibus investigandis nostrorum in primis hominum, *Jerusalemi*, *Hessi*, *Herderi*, *Niemeyeri* aliorumque diligentia elaboravit: quis dubitabit, hunc per historiam sacram incendendae alendaeque virtutis modum praeferre istis commentatorum moralium ludibriis, quae ab inertia, ingenio literarum disciplinis minime subacto, argutandique libidine profecta, rudioribus placebunt fortassis sacrorumque librorum irrisoribus, sed intelligentibus nequaquam probabuntur.

Restant his e libris loci ii, qui in *dogmatibus* proponendis versantur et ad religionis theoriam pertinent, in quibus sunt quae iisdem virtuti et morum doctrinae inimica sunt visa, eaque duplicis, quantum animadverti, generis. Nam *vel* eo offenderunt, quod injuria in Deum et oppido impia putarentur, *vel* quod a ratione et natura rerum necessaria conclusione duci non posse, et peccandi licentiae quasi quoddam pabulum praebere viderentur. In *illis* sunt dicta ea, quae delictorum origines ab ipso Deo repetere, vitiorumque et criminum culpam in eum transferre videntur, ut, quae ex Esaiae loco in

dinnis Evangelio Cap. XII, 39 et 40 reperitur, et similia. Quorum opinatae dirimi nulla poterit, certe non satis, adhibita sive distinctio sive moralis interpretatio mederi, sed grammatica satisfaciet, cum docuerit, ea, quae facultatem aut occasionem alicui rei minime probatae dederint, ita Hebraeis dici, ut, qui hanc dederit, ipsam fecisse perhibeatur. Quo quidem modo Lucas Actor. I, 18 Iudam, narrat, Christi proditorem, pecunia a senatu Judaeorum accepta agrum redemisse, in quo mortui sepelirentur, quem tamen, satis constat, illo pretio redemtum a senatu ipso fuisse, cui ejus comparandae opportunitatem Iudas, reddito corrumpentibus hoc pretio, dedisset. Et *Cap.* XIII, 29 huic ipsi senatui tribuit Christi de cruce detractionem et sepulturam, quam illi tamen maxime impedire quaesivissent, hactenus videlicet, quod Christo interficiendo praebuissent occasionem Josepho, ut et sibi corpus Christi expeteret a Pilato et diligenter reconderet in sepulcro. E quibus et similibus locis par est intelligi, hominum contumaciam malitiamque non tribui Deo, tamquam auctori, sed hactenus, quod, nisi Deus legibus sanctissimis vetuisset malefacta, nec illae violari potuissent, nec haec omnino perpetrari. In *altero* autem genere numerari fere potest SS. Scripturarum doctrina de redemtione hominum per Jesum Christum facta

et humanorum peccatorum condonatio Quam utramque, certum est, nec e rat nis et naturae principiis nexam esse, et levitatis alendae praesidium adhibitam saepe, et multis modis perversam. Quorum autem ineptis studiis perversam? Non eorum profecto, qui, quod est boni ejusque grammatici interpretis, rectum loquendi usum, regnantem in ipsis scripturis, investigassent, sed philosophantium Theologorum commentis, qui necessitatem mortis Christi a Dei justitia, cui ex asse satisfaciendum esset, repetivere, non, quod libri fecerunt sacri, (Joh. III, 16. Rom. V, 8) ab incredibili gratuitoque Dei erga homines amore; qui miseris condonare Deum posse negarunt, nisi infiniti pretii sacrificio placatum, quod ipsum contra divini libri ab ipsius Dei, eoque sapientissimo amorisque infiniti pleno, arbitrio arcessunt, et condonationem gratis offerunt omnibus, qui vera fide Christum, non modo optimum verae virtutis magistrum, sed ad redimendos a poenis delictorum hominibus morti quoque datum, amplectentes, non suas libidines, sed Christi disciplinam sequantur (Rom. VIII. 1). Neminem sane arbitror futurum, qui hanc doctrinam putet indignam Deo esse aut aditum ad libidines explendas facientem, aut necessitatem defendat ad moralem ejus interpretationem confugiendi, nisi de aperta et simplici Grammaticae via declinando, in phi-

Digitized by Google

di[illegible] dumtaxat inciderit et quae non nisi ratione magistra disci possint, omnino recusanda decreverit. Ceteris autem, qui sibi persuasum habent, Deum nos quoque docere posse, quae numquam venerint in humanam mentem, consolationemque in his libris quaerunt adversus malefactorum conscientiam, numquam, haec nulla esse, universa morali interpretatione persuadebis. Semper enim perspicuum librorum sacrorum, eumque literalem, sensum sequentur, et, si perperam in iis sumserint, quae sint ejus auctoritati contraria, unis e sacris scripturis, quarum grammaticus sensus perspicue demonstratus fuerit, ab errore revocabuntur.

Nos vero dum finem hujus disputationis facimus, non dubitamus quidem, quin *Kantius* illam pro sensu morali susceptam disputationem optimo consilio instituerit, atque eum agnoscimus interpretationem literalem non omnino contemsisse: videtur tamen magnificentius de morali sensisse atque ita disputasse, ut verendum sit, ne imprudentes huic plus, ac literali minus, tribuant, quam par sit, incipiantque credere, praesertim cum se non nisi rudibus erudiendis dicatos arbitrentur, satis esse si in Scripturis omnia ad mores referant, ceteris se facile carere posse. Huic volebamus malo occurrere, non tamquam adversarium aliquem convincere.

P. P. die XXIV Decembris A. C. MDCCLXXXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google